



~~2284~~

077

~~2087~~

7/6

N

1030


10  
Stab  
men

1495











APPENDIX 7a  
AD  
TRACTATUM  
HISTORICO-  
POLITICORUM,  
HENRICI BREWER  
JULIACENSIS.  
PARTEM VII.



COLONIAE AGRIPPINÆ,  
Sumptibus IOANNIS ANTONII KINCHII, Anno 1674.  
Cum Privilegio, S. C. M.







## I N D E X

- Memoriale Residentis Succici à Puffendorff ad S. C.  
M. in puncto captivitationis Principis Fursten-  
bergii. pag. 13.
- Regis Christianissimi litteræ super hac captura exara-  
tæ ad suos ubi ubi hærentes Ministros 24. Feb.  
1674. pag. 16.
- Rex Christianissimus revocat suos Plenipotentiariorum  
Coloniâ domum. 24. Martij. 1674. pag. 19
- Hanc Declarationem ubi D. D. Mediatores intimassent  
D. D. Plenipotentiariorum Batavicis, respondent ipsi  
pag. 12.
- Declaratio Dn. Legati Burgundici, S. R. I. Comitibus  
per Dict. Publicam 6. (26.) Martij 1674. commu-  
nicata Serenissimi Principis Electoris Coloniensis  
19. (29.) Decemb. 1673. dictatum Memoriale  
concernens. pag. 27.
- Decretum ex speciali mandato S. C. M. per ejusdem  
Principalem Commissarium &c. Ratisbonæ Ele-  
ctorali Moguntino Imperii Directorio exhibitum,  
& 8. (18.) Martij an. 1674. publice dictatum. pag. 33
- Adjunctum incipiens LEOPOLDUS. Divina favente  
Clementia Electus Rom. Imperator &c. pag. 35.
- Decretum Cæsareum pro discessu Legati Gallici D.  
Roberti de Gravel Viennæ. 19. Martij. 1674.  
pag. 39.
- S. C. Majestatis Domini Nostri Clementissimi nomi-  
ne Serenissimi Galliarum Regis Christianissimi, ad  
Comitia Imperialia Ratisbonæ præsentem Legato  
Plenipotentiariorum Domino Roberto de Gravel in-  
timandum mandatum. pag. 40
- Conclusum Imperiale 31. Martij 1674. contra  
Galliarum Regem Ratisbonæ publicatum. pag. 42.
- Imperiale arbitramentum de Trevirensi Archidiocæsi  
hostilitatibus Gallicis eximenda, Ratisbonæ 7. Apri-  
lis 1674. pag. 43.
- Conclusum per Salzburgum 23. Aprilis 1674. de mit-  
tenda Circularis militis parte jam parata pag. 44.  
Con-



## I N D E X

- Conclusum Electoralis Collegij de dato 23. Apr. 1674.  
 de accelerando circularis militis subsidio. pag. 45.
- Regij Gallicani Legati Plenipotentiarum D. Roberti de  
 Gravel dimissio ex Comitibus Ratisbonensibus, noti-  
 ficata S. R. I. Statuum Legatis. pag. 47
- Decisio Tractatum Muhlhausij inchoatorum, à su-  
 perioris inferiorisque Saxoniae, aliisque confinibus  
 Circulis, in diæta Circulari Norimbergæ 8. (18.)  
 Januarii 1674. conclusorum. pag. 48.
- S. R. Majestatis Sueciæ monitoriæ ad pacem primæ  
 Regi Galliae scriptæ 1672. 24. Maij. Holmiæ. pag. 1.
- S. R. M. Sueciæ pro pace primæ Regi Angliæ scriptæ  
 1672. 24. Maij. pag. 3.
- Monitoriæ posteriores pro pace Regi Galliae datæ die  
 17. Julij. an. 1672. Holmiæ. pag. 8.
- Responsio Regis Angliæ ad Regem Sueciæ 3. die  
 Septembr. 1672. Wittehal. pag. 10.
- S. R. M. Sueciæ Legatorum in audienria solenni ha-  
 bita propositio coram Regia Magnæ Britanniae Ma-  
 jestate. Londini 1672. pag. 12.
- Memoriale præsentatum Regi Magnæ Britanniae à  
 DD. Legatis Sueciæ. pag. 15.
- Responsio Regis Angliæ ad memoriale Legatorum  
 Suecicorum, Wittehal. 20. November. 1672. p. 17.
- Puncta Regis Christianissimi Legatorum Plenipoten-  
 tiariorum tractanda cum DD. Ordinum Generali-  
 um uniti Belgii Legatis Plenipotentiaris notificata  
 per S. R. Maj. Sueciæ ad Tractatum pacis DD. Le-  
 gatos Extraordinarios & Mediatores Coloniae 2.  
 (12.) Julij 1673. pag. 19.
- Responsum DD. Ordinum Generalium uniti Belgij  
 super punctis superioribus DD. Legatorum Extra-  
 ordinariorum S. R. Majestatis Sueciæ. Datum Co-  
 loniæ 15. Augusti 1673. pag. 20.





TRACTATVVM AC  
SCRIPTORVM COMPILA-  
tor ad Lectorem.

LECTOR BENEVOLE.



Ost. nuperas nundinas  
prodire alia scripta  
in lucem; venire alia  
post eas prius nostras  
ad manus; hinc non  
mireris ORDINEM  
in ijs imprimendis non fuisse serua-  
tum: speravimus fore, ut pacem con-  
sequeremur per D. D. Plenipoten-  
tarios universalem, sed spe frustrati  
sumus: Imò habes hic legere, quo-  
modo, & cur PACIFICATORES  
hinc abierint, tractatusque abrupe-  
rint; Donec universalem obtinea-  
mus, accipe particulares geminas o-  
perâ mediatoriâ invictissimi Roma-  
norum IMPERATORIS Leopoldi I.  
interpositâ per Alegatos suos Illu-  
strissimos & Excellentissimos Domi-

\*

nos,



nos, D. Franciscum liberum Baro-  
nem DE LISOLA, & D. Joannem  
FISCHER J. V. D. suos respectivè  
Aulæ, Cameræ, & inferioris Austriæ  
Consiliarios, utramque inter Cellos  
& Præpotentes DD. Ordines Gene-  
rales uniti Belgii ab unâ, semel inter  
Serenitatem suam ELECTORALEM  
COLONIENSEM: iterum inter Cel-  
situdinem suam MONASTERIEN-  
SEM, ab alterâ, partibus, conclusas,  
per DD. Partium Plenipotentiaros  
subscribentes: scilicet pro Serenissi-  
mo & Reverendissimo Principe E-  
lectore Coloniensi, per Reverendissi-  
mos respectivè Illustrissimos & Ex-  
cellentissimos Dominos, DD. Tho-  
mam Quentel, Franciscum Baronem  
de, & in Frenz, & Kendenich, nec  
non Ignatium Widman, suæ Electo-  
ralis Serenitatis Consiliarios inti-  
mos, Metropolitanæ Coloniensis,  
Cathedralium Hildesienfis, & Pa-  
derbornensis, nec non Collegiata-  
rum S. Severini, & S. Andreæ res-  
pectivè Præpositum, & Capitulares;  
Pariter pro Reverendissimo & Cel-  
sissimo



fissimo Principe Episcopo Monaste-  
riensi, per Reverendissimū, Illustris-  
simos & Excellentissimos Domi-  
nos, Fredericum Baronem à Schmi-  
sing, Ordinis Sancti Joannis Hie-  
rosolymitani Equitem, & Com-  
mendatorem in Francfort &c. &  
Wernerum zur Muhlen, Jurium  
Doctorem, Celsitudinis suæ Con-  
siliarios intimos, & respectivè  
Cancellarium. Pro D. D. verò  
Statibus utrobique per Illustris-  
simos & Excellentissimos D. D.  
D. Hieronymum à B E V E R-  
NING Consulem Gaudanum, Se-  
natorem ac Quæstorem uniti Bel-  
gii: D. Joannem JSBRANDT To-  
parcham in Hochkirchen, & Sena-  
torem Urbis Groninganæ. Eam  
ob rem horum tibi hic insignia ap-  
ponimus, adiectis quoque ipsorum  
D. D. plenipotentiariorum ad tra-  
ctatus pacis Coloniam Ablegato-  
rum REGIS Catholici in foedus  
cum D. D. Statibus ingressi. Scili-  
cet Illustrissimorum & Excellen-  
tissimorum D. D. D. Emanuelis DE  
LYRA



LYRA ad aulam Hispanicam Ora-  
torum potestatum Extraneorum In-  
troductoris , & D. petri Fran-  
cisc. DE BLONDEL D. de Ouden-  
houe S. Mariæ Muhelbeck , Mau-  
chicourt Sorrellie ab intimis & se-  
cretioribus consiliis. Accipe has  
pacificaciones particulares , oraque  
principem pacis nobiscum, ut redu-  
cat in loca , unde exulavit , hone-  
stam, fidam sinceram. Germanam,  
stabilem ac perpetuam uniuersalem.  
Vale, utere, ac frueri.



# TRACTATUS

*Pacis geminæ, conclusæ &  
ratificatæ.*

ANNO M. DC. LXXIV.

## COLONIÆ

In urbe liberâ Imperiali, & paciferâ,  
Operâ *Mediatoriâ Sacræ suæ Casaræ  
Majestatis:*

Alterius quidem XI. Maii inter Sere-  
nissimam suam *Celsitudinem Electoralem Colo-  
niensem* ex unâ, nec non Præpotentes DD. Fœ-  
derati *Belgii Ordines*, ex alterâ par-  
tibus.

Alterius XXII. Aprilis, dictos inter DD. Ordi-  
nes, & Celsissimum *D. Principem Mona-  
steriensem.*

*Excusus pro Historia universalis elucidatione*  
HENRICI BREWER, Juliac.



## COLONIÆ AGRIPPINÆ

Sumptibus JOANNIS ANTONII KINCHII:  
*Cum Privilegio Sac. Cas. Majest.*



TRACTATUS

Pauli Geminae, consule &

reuerentissimus

ANNO M. DC. LXXIV.

COLONIAE

In uide horti Imperialis & publici

Orti Botanici, in aedibus

Magistri

Alberici quidem X. I. in interser-

uimus hanc Editionem & in uide Colo-

niae, in uide horti Imperialis & publici

Orti Botanici, in aedibus

Magistri


Alberici XII. in interser-

uimus hanc Editionem & in uide Colo-

niae, in uide horti

Imperialis & publici Orti Botanici,

in aedibus Magistri




COLONIAE AGRIPPAE

Sumptibus IOANNIS ANTONII KINCHII

Cura Theophili C.












D.F.E. de LYRA.

P.F. de BLONDEL








F. B. de

Lisola, I.

Fischer,









## PACIS TRACTATUS,

Inter Præpotentes DD. Unitarum Provinciarum Belgicarum Status, ex unâ, Reverendissimum item ac Celsissimum S. R. I. Principem & Episcopum Monasteriensem, ex alterâ, partibus, in libera Romano-Imperiali Civitate Colonia Agrippina ad Rhenum initus, conclusus, ratificatus, & subscriptus

22. Aprilis Anno 1674.



Rdines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum notum testamentumque facimus universis, & singulis, quorum scire interest, quod, cum ad interpositionem Sacræ Cæsareæ Majestatis Ministrorum, nimirum Illustrissimorum, & Excellentissimorum DD. Francisci Baronis de Lisola, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consilarii Aulici, & Joannis Fischer anterioris Austriæ Consilarii Cameralis, ad generales Pacis Tractatus Legatorum, & Plenipotentiariorum inter Plenipotentiarios: ex parte nostrâ Illustrissimos, & Excellentissimos Dominos, Hieronymum à Beverning urbis Gaudanzæ Exconsulem, quondam Uniti Belgii Consiliarium & Quæstorem Generalem: & Joannem Isbrandts Toparcham in Hochkeerke, & Senatorem Groninganum, in consessu nostro Deputatos, & inter Plenipotentiarios, ex parte Reverendissimi & Celsissimi Domini Episcopi & Principis Monasterien-



sis Perillustrem & Generosum, nec non Nobilem, & Clarissimum, DD. Fridericum Baronem à Schming Ordinis S. Joannis Hierosolimitani Equitem, & Commendatorem in Francfort, & Wernerum zur Mühlen Jurium Doctorem, Celsitudinis suæ Confiliarios intimos, & respective Cancellarium, Deputatos, ad hoc sufficienti utrimque mandato instructos, Coloniae Agrippinae die vigesima secundâ Aprilis, Anni millesimi, sexcentesimi, septuagesimi quarti, in sequentes pacis leges conventum sit:

*In nomine Domini, ac Sacrosanctæ & individuae Trinitatis, &c.*

**N**orum hisce sit cunctis, posteaquam bellum inter Christianissimum Galliarum Regem, ejusque Confœderatos ex unâ, & Celsos & Præpotentes Fœderati Belgii Ordines, eorumque Confœderatos ex alterâ, partibus nuper exortum eoque excrevit, ut Sacram Cæsaream Majestatem, totumq; Romanum Imperium tandem involvat, & altissime memorata Sua Cæsarea Majestas per Ministros suos, Reverendissimum & Celsissimum Dominum Episcopum & Principem Monasteriensem (qui uti Christianissimæ Regiæ Majestatis Confœderatus, dicto bello contra Unitum Belgium accesserat) adhortari fecerit, ut à fœdere Gallico recederet, & pro communi totius imperii, & Reipublicæ bono, pacem cum altè memoratis Ordinibus iniret, cui adhortationi dictus Dominus Episcopus locum dare, & in devotissimū respectum Sacræ Cæsareæ Majestatis à fœdere cum altè memorato Rege Christianissimo antehac inito, vi & potestate arbitrii sibi in ipso fœdere reservati, discedere, eique debite renunciare, nec non nuperis Comitiorum Ratisbonensium recessibus  
pro



pro guarantiâ oppressis Imperii Statibus juxtâ ejusdem constitutiones præstandâ, per omnia stare, & se conformare, eumque in finem cum quotâ debitâ concurrere, prout etiam cum dictis Dominis Ordinibus Fœderati Belgii ad bonum publicum promovendum, pacem inire paratus. Quod hinc ad interpositionem Sacræ Cæsareæ Majestatis Ministrorum, nimirum Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum Francisci Liberi Baronis de Lisola, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consilarii Aulici, & Joannis Fischer, anterioris Austriæ Consilarii Cameralis, ad generales Pacis Tractatus Legatorum & Plenipotentiariorum, inter utriusque partis Plenipotentiariorum, & ad hoc Deputatos ex parte altè memoratorum Dominorum Ordinum Generalium Illustrissimos & Excellentissimos Dominos, Hieronymum à Beverningk Urbis Gaudanæ Exconsulem, quondam Uniti Belgii Consiliarium & Quæstorem Generalem, & Joannem Isbrandts Toparcham in Hochkercke & Senatorem Groninganum, in consessu Dominorum Ordinum Generalium Deputatos; Ex parte verò prænominati Domini Episcopi, Reverendissimum Perillustrem & Generosum; nec non Nobilem & Clarissimum, Dominos, Fredericum Baronem à Schmising, Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani Equitem, & Commendatorem in Francfort &c. & Wernerum zur Muhlen, Jurium Doctorem, Celsitudinis suæ Consiliarios intimos, & respectivè Cancellarium, in sequentes pacis leges tandem conventum sit.

I. Pax sit constans & perpetua inter antedictos Dominos Ordines Uniti Belgii, & Dominum Episcopum & Principem Monasteriensem, eaque sic colatur & servetur seridò, ut mutuis sibi invicem commodis studeant & omnia humanitatis, bonæque viciniae officia præstent, neque in posterum una pars contra alterius Subditos arresta & repressalias decernat, nec executiones rerum judicatarum impediatur.

II. Sit utrimque perpetua oblivio omnium eorum, quæ post Pacem Clivensem, & ab initio hujus belli, us-



que huc quocunque modo aut loco, ultro citroque hostiliter facta sunt, ita ut nec illorum, nec ullius alterius rei causâ vel prætextu, ullus posthac quicquam hostilitatis, inimicitia, molestia vel impedimenti, tam quoad personas, quàm bona per se, vel per alios, clam aut palâ, directè vel indirectè, specie juris aut viâ facti uspiâ inferat, vel inferri faciat aut patiat, sed omnes & singulæ hinc inde tam ante quàm in bello, verbis, scriptis aut factis illatæ injuriæ, violentiæ, damna, expensæ, absque omni personarum rerumve respectu ita penitus abolitæ sînt, ut, quidquid eo nomine alter adversus alterum prætereundere posset, perpetuâ sit oblivione sepultum. Ad quorum tamen dilucidationem conventum est, quod ab hac amnestia erunt excipiendi ii omnes, qui proditoris aut læsæ Majestatis Rei arguentur, ita tamen, ut illis via juris utrimque aperta, & uxoribus, liberisque, & hæredibus bona salva maneant, juxta tenorem articuli secundi tractatus Clivensis.

III. Posito hoc universalis & illimitatæ amnestiæ fundamento, restituet Dominus Episcopus statim & illico post ratificationem, Dominis Uniti Belgii Ordinibus omnia ea loca ubicunque sita, nullo prorsus reservato, quæ durante hoc bello occupavit, & quæ ex iisdem in ipsius potestate tempore hujus conclusionis invenientur: & quidem omnia in eo statu, quo nunc reperiuntur, & curabit, ne quidquam in iis deterius quàm nunc est, reddatur; nominatim oppida, arces & castella de Lingen, Lichtenfort & Borckelo, salvis tamen per omnia, juribus & constitutionibus Imperii pacisque Westphalicæ, ne quid per hæc restitutiones iis derogeretur, aut in eorum præjudicium innovetur.

IV. Restituet identidem omnibus Nobilibus, Vassallis, & Subditis Dominorum Ordinum cujuscunque nominis & conditionis, omnia & singula eorum territoria, dominia, jurisdictiones, agros, & bona immobilia ubicunque sita, quæ durante hoc bello occupavit, aut occupari fecit: & nominatim evacuabit milite suo Castellum, oppidum, & dominium de Weerth & Domino

mino



mino Georgio Friderico Comiti de Waldeck restituet, reservatis tamen per expressum omnibus, tam dicto Domino Episcopo, ejusque successoribus, & Ecclesie, quam Domino Comiti competentibus juribus, prætensionibus, & actionibus coram competente Judice decidendis: prout & curabunt Domini Ordines, ut vice versâ Vassallis & subditis Monasteriensibus omnia eorundem durante hoc bello occupata bona immobilia, ubicunque sita restituantur: Captivi quoque hinc inde cujuscunque conditionis, status aut professionis sint, liberè dimittentur & relaxabuntur.

V. Maneat Tractatus Clivensis 18. April. stilo novo Anno 1666. conclusus in plenâ vi & vigore, in quantum præsentis tractatui nullatenus contradicit.

*V. part.*

*s. polit.*

*c. 2.*

*pag. II.*

VI. Comprehendatur hac pace & amnestiâ Dominus & familia Comitum de Bentheim ejusq; Ministri, Vassalli & Subditi, & quæ ipsi durante hoc bello ablata fuerunt, utrimque restituantur; gaudeatque dictus Dominus Comes absque ullo impedimento uti reliqui Imperii Status suis juribus & regalibus, & sub Cæsareæ Majestatis & Imperii protectione tranquillè relinquatur; & post horum tractatum ratihabitionē allaborabit pars utraque coram Cæsareâ suâ Majestate, quo pax, securitas & amor præcipuè conjugalis in eâ familiâ restituantur & stabiliantur, jurisdictione tamen Cæsareâ semper salvâ & reservatâ.

VII, Ad majorem prædictorum cautelam & securitatem, Sacra Cæsarea Majestas ac Serenissimus Hispaniarum Rex debitè requirentur, ut garantiam hujus tractatus solenni & meliori formâ præstare velint.

VIII. Hujus tractatus ratihabitiones ex utrâque parte Paciscentium extradentur ad manus Dominorum Legatorum Sacræ Cæsareæ Majestatis, & commutabuntur intra quindecim dies, à die subscriptionis hujus instrumenti computandos, & citiùs si fieri possit; actus tamen hostilitatis cessabunt, quamprimum ratihabitione Celsissimi Domini Episcopi Monasteriensis Coloniam advenerit, & ad manus dictorum Dominorum Legatorum



rum Cæsareanorum fuerit consignata. In cujus rei fi-  
dem duo ejusdemtenoris instrumenta desuper confecta  
tam à Dominis Legatis Cæsareis, quam ab utriusque  
partis Plenipotentariis & Deputatis subscripta & si-  
gillata sunt. Actum Coloniae Agrippinae, die vigesima  
secunda Aprilis; Anno millesimo, sexcentesimo, septua-  
gesimo quarto.

(L.S.) H.V. Beverningk.

(L.S.) F. De Schmising.

(L.S.) J. Isbrands.

(L.S.) W. Zur Muhlen.

*In supradictorum omnium fidem infra scripti Domini  
Mediatores hoc instrumentum sub signatione sua, & sigillis  
communiverunt loco & die ut supra.*

(L.S.) F. B. De Lisola.

(L.S.) Joannes Fischer.

Ratifi.



*Ratificatio DD. Statuum.*

**C**umque simul etiam convenerit, ut ejusdem initæ, & conclusæ Pacis ratihabitiones ex utraque parte Paciscentium extradantur ad manus præfatorum DD. Legatorum Sac. Cæs. Majestatis, & intra quindecim dies, a die subscriptionis, vel citius si fieri possit, communicentur. Nos huic conventioni satisfaciennes eandem pacem initam, & conclusam per omnia, & singula approbavimus, confirmavimus, & ratihabuimus, quemadmodum hisce approbamus, confirmamus, & ratihabemus: Promittentes insuper nos omnia, & singula in præfatâ pace contenta bonâ fide præstituros, & adimpleruros, omnique ratione impedituros ne à nostris, vel ab aliis ullo modo violentur: In cujus rei fidem has majoris sigilli nostri appensione muniri, & per Confessum nostri Præsidem signari curavimus, ut & per primarium Graphiarium nostrum subscribi jussimus. Actum in Confessu nostro, die quartâ mensis Maii, Anni millesimi sexcentissimi septuagesimi quarti.

Vidit Scato Gochinga

*Ad mandatum altermemoratorum Dominorum Ordinum Generalium.*

H. Fagel.



# TRACTATUS

*Pacis inter Serenissimum D. Principem Electorem Coloniensem ex unâ, nec non Cellos & Præpotentes Fœderati Belgii*

*DD. Ordines ex alterâ partibus conclusus Coloniae 11. Maii*

*Anno 1674.*

**M**AXIMILIANUS HENRICUS Dei gratiâ Archiepiscopus Coloniensis, Sacri Romani Imperii Princeps Elector, per Italiam Archicancellarius, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus natus, Episcopus, & Princeps Leodiensis, & Hildesiensis, Administrator Bergtesgadiensis, utriusque Bavariæ, superioris Palatinatus, Westphaliæ, Angariæ & Bullonii Dux, Comes Palatinus Rheii, Landtgravius Leuchtenbergensis, Marchio Franchimontensis, Comes Loffensis, Hornensis, &c. Notum facimus omnibus & singulis, cum ad interpositionem Sacræ Cæsareæ Majestatis ad institutos in hac civitate generalis Pacis tractatus Legatorum Plenipotentiariorum, Nos inter, & Celsi-Potentes Fœderati Belgii Ordines in sequentes Pacis articulos intra quindenam, & citius, si fieri potest, utrimque ratificandos conventum sit.

ORDI-



**O**RDINES GENERALES Fœderatarum Belgii Provinciarum, notum restatumque facimus universis & singulis, quorum scire interest; Quod cum ad interpositionem Sacræ Cæsareæ Majestatis Ministrorum, nimirum Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum Francisci Liberi Baronis de Lisola, Sacræ Cæs. Majestatis Consilarii Aulici, & Joannis Fischer, anterioris Austriæ Consilarii Cameralis, ad generalis Pacis tractatus Legatorum & Plenipotentiariorum à parte nostra, inter Illustrissimos & Excellentissimos Dominos Hieronymum à Beverningh, urbis Gaudanæ Exconsulem, quondam Uniti Belgii Consiliarium & Quæstorem; & Joannem Isbrands Toparcham in Hooghkercke, & Senatorem Groninganum in consessu nostro Deputatos: & à parte Serenissimi Principis Electoris Coloniensis, inter Reverendissimos, Perillustrem & Prænobiles Dominos, Thomam Quentel, Franciscum Liberum Baronem de & in Frenz, & Kendenich, nec non Ignatium Widman, Suae Electoralis Serenitatis Consilarios intimos & Metropolitanæ Coloniensis, Cathedralium Hildesienfis & Paderbornensis, nec non Collegiatarum Sancti Severini, & Sancti Andreae respectivè Præpositum, & Canonicos Capitulares, ad hoc sufficienti utrimque mandato instructos, Coloniae Agrippinæ, die 11. Mensis Maii, Anni 1674. in sequentes Pacis leges conventum sit.

In no.



*In nomine Domini, ac Sacrosanctæ & in-  
dividuae Trinitatis, &c.*



Notum hisce sit cunctis, posteaquam bellum inter Christianissimum Galliarum Regem, ejusque Confœderatos ex unâ, & Celso, & Præpotentes Fœderati Belgii Ordines, eorumque Confœderatos ex alterâ, partibus, nuper exortum, eo usque excrevit, ut Sac. Cæs. Majestatem, totumque Romanum Imperium tandem involvat; & altissimè memorata Sac. Cæs. Majestas per Ministros suos, Serenissimum Principem Electorem Colonensem (qui uti Christianissimæ Regiæ Majestatis Confœderatus, dicto bello contra unitum Belgium accesserat) adhortari fecerit, ut pro communi totius Imperii, & Reipublicæ bono, pacem cum alte memoratis Dominis Ordinibus iniret: cui adhortationi Serenissima Celsitudo Electoralis locum dare, & in devotissimum respectum Sac. Cæs. Majestatis, non obstantibus quibuscunque fœderibus, vi, & potestate arbitrii sibi in iisdem reservati, cum dictis Dominis Ordinibus Fœderati Belgii, ad bonum publicum promovendum, pacem inire parata: quod hinc ad interpositionem Sac. Cæs. Majestatis Ministrorum, nimirum Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum, Francisci Liberi Baronis de Lisola, Sac. Cæs. Majestatis Consilarii Aulici, & Joannis Fischer anterioris Austriæ Consilarii Cameralis, ad generalis Pacis tractatus Legatorum, & Plenipotentiariorum, inter utriusque partis Plenipotentiariorum, & ad hoc Deputatos ex parte Serenissimi Electoris, Reverendissimos, Perillustrem, & Prænobiles Dominos, Thomam Quentel, Franciscum Baronem de, & in Frenz, & Kendenich, nec non Ignatium Widman suæ Electoralis Serenitatis Consiliarios intimos Metropolitanæ Colonensis, Cathedralium Hildesien- sis, & Paderbornensis, nec non Collegiatarum S. Severini, & S. Andreæ respectivè Præpositum, & Capitula-  
res



res ; Ex parte verò alte memoratorum Dominorum  
Ordinum Generalium, Illustrissimos & Excellentissi-  
mos Dominos, Hieronymum à Beverningk Urbis  
Gaudanæ Exconsulem, quondam uniti Belgii Consilia-  
rium, & Quæstorem Generalem, & Joannem Isbrandts  
Toparcham in Hoochkercke, & Senatorem Groninga-  
num, in confessu Dominorum Ordinum Generalium  
Deputatos, in sequētes pacis leges tandem conventū sit.

I. Pax sit constans, & perpetua inter ante dictum  
Dominum Electorem, & ante dictos Dominos Ordi-  
nes Uniri Belgii, eaque sic colatur, & seruetur seriò, ut  
mutuis sibi invicem commodis studeant, & omnia hu-  
manitatis, bonæque vicinix officia præstent. Neque im-  
posterum una pars contra alterius subditos, arresta, & re-  
pressalias decerneret, nec executiones rerum judicatarum  
impediet. Sub quo tamen non intelligantur arresta justi-  
tiæ per vias ordinarias, ex causa proprii debiti obligatio-  
num & validorum contractuum cum iis, contra quos in-  
tentantur, initorum: in quibus procedatur ex usu juris &  
rationis.

II. Sit utrimque perpetua oblivio omnium eorum,  
quæ ab initio hujus belli usq; huc, quocunq; modo aut  
loco, ultro, citroque hostiliter facta sunt, ita ut nec illorū,  
nec ullius alterius rei causa, vel prætextu, ullus post hac  
quicquam hostilitatis, inimicitix, molestix vel impedi-  
menti, tam quo ad personas, quam bona, per se, vel per  
alios, clam aut palam, directe vel indirecte, specie juris,  
aut viâ facti uspiam inferat, vel inferri faciat aut patiat,  
sed omnes ac singulæ hinc inde tam ante, quam in bello,  
verbis, scriptis, aut factis illatæ injuriæ, violentiæ, damna,  
expensæ absque omni personarum rerumque respectu  
ita penitus abolitæ sint, ut quidquid eo nomine alter ad-  
versus alterum prætendere posset, perpetua sit oblivione  
sepultum. Ad quorum tamen dilucidationem conven-  
tum est, quod ab hac amnestia erunt excipiendi ii om-  
nes, qui proditionis aut læsæ Majestatis Rei arguentur,  
ita tamen ut illis via juris, utrimque aperta, & uxoribus,  
liberisque, & hæredibus bona salva maneat.

III.



III. Posito hoc universalis & illimitatæ amnestiæ fundamento, restituet Sux Cels. Electoralis statim & illico post ratificationē, Dominis Uniti Belgii Ordinibus omnia ea loca, ubicunque sita, nullo prorsus reservato, quæ durante hoc bello occupavit, & quæ ex iisdem in ipsius potestate tempore hujus conclusionis invenientur, & quidem omnia in eo statu, quo nunc reperiuntur, & curabit, ne quidquam in iis deterius, quam nunc est reddatur, quin & vetabit, & cū effectu impediet, ne quid pecuniarum, urbium, locorumque prædictorū, Gubernatores, aut per se, aut Sux Cels. Electoralis nomine, Senatui, aut populo extorqueant; imo ne illo quidem casu, quo stipulationibus, subscriptioni horum tractatum anterioribus, fortè de solvendo quodam redemptionis pretio conventum sit, sed earum conventionum singula & quævis pro nullis cassis & irritis habeantur, ita tamen, ut ii nummi, qui reaptè ante præsentis tractatus subsignationem persoluti sunt, non repetantur. Obsides autem si qui dati aut abducti sint, illicò sine ullo redemptionis pretio dimittantur

IV. Restituet identidem omnibus Nobilibus, Vassallis, & subditis DD. Ordinum, cujuscunque nominis & conditionis, omnia & singula eorum territoria, dominia, jurisdictiones, agros, & bona immobilia, ubicunque sita, quæ durante hoc bello occupavit, aut occupari fecit.

V. Prædicti DD. Ordines Generales è contra cedunt & renuntiant omnibus & quibuscunque juribus, & præensionibus, quas quovis modo habuerunt, aut deinceps habere aut prætendere possent de Urbe Rhenoberca, & quæ eo pertinent, vel ab ea dependent, ut realiter & effectivè in perpetuum maneat penes prædictam Serenissimam Celsitudinem Electoralem, nominatim etiam actionibus iis omnibus, quæ de fortificationum, operumque publicorum, armamentariorum & tormentorum impensis & provisione institui poterant. Simul etiam vice versa curabunt, ut subditis Colonensibus omnia eorundem durante hoc bello occupata bona immobilia



mobilia ubicumque sita, restituantur. Captivi quoque hinc inde cujuscunque conditionis, status aut professionis sint, liberè dimittentur & relaxabuntur.

VI. Solutio contributionum, simul & redemptionum, quæ tempore conclusi pacis tractatus præstanda restiterit, respectu personarum & bonorum, unius alteriusve partis dirigatur, determinetur & absolvatur per eos, qui ab unâ & alterâ parte super intendentiam contributionum & redemptionum exercent.

VII. Ad majorem prædictorum cautelam & securitatem Sac. Cæs. Majestas, ac Serenissimus Hispaniarum Rex debite requirentur, ut garantiam hujus tractatus solemnæ & meliori formâ præstare velint.

VIII. Hujus tractatus ratificationes ex utraque parte Paciscentium extradentur ad manus Dominorum Legatorum Sac. Cæs. Maiestatis, & commutabuntur intra quindecim dies, à die subscriptionis hujus instrumenti computandos, & citius, si fieri potest: actus tamen hostilitatis cessabunt, quamprimum ratificatio partis alterutrius ad manus dictorum Dominorum Legatorum Cæsareanorum fuerit consignata. In cujus rei fidem, duo ejusdem tenoris instrumenta desuper confecta, tam à Dominis Legatis Cæsareis, quam ab utriusque partis Plenipotentariis Deputatis subscripta & sigillata sunt. Actum Coloniae Agrippinæ, die 11. mensis Maii, Anno 1674.

(L.) Thomas Quentel. (L.S.) H.V. Beverningh.  
 (L.S.) Franc. F.V. Frens. (L.S.) J. Isbrandts.  
 (L.S.) Ignatius Widman.

*In supradictorum omnium fidem infrascripti Domini Mediatores hoc instrumentum sub signatione suâ & sigillis communi verunt loco & die ut supra.*

(L.S.) F.B. de Lisola.

(L.S.) Joannes Fischer.



R A T I F I C A T I O  
SERENISSIMI D. PRINCIPIS ELECTORIS.

**N** Oseam, quam ante hac cum Præfatis Fœderati  
Belgii Ordinibus semper colere studuimus ami-  
citiâ renovare cupientes, expressos supra Pacis Arti-  
culos per nostros, & eorundem Deputatos respectivè  
Legatos & Plenipotentiariorum subscriptos approbandos  
& ratificandos duximus, prout vigore præsentium ap-  
probamus, & ratificamus, spondentes ac promittentes,  
Nos omnia ex parte nostrâ inviolabiliter & bonâ fide  
servaturos & impleturos; In quorum majorem fidem  
hasce manu propriâ subscriptas Sigillo nostro corrobora-  
ri fecimus datas in civitate nostrâ Coloniae. Die 18.  
mensis Maii. Anno 1674.

MAXIMILIANUS HENRICUS  
Archiepiscopus & Elector Colonienfis.

(L. S.)

R A T I F I C A T I O D D. S T A T U U M.

**C** Umque simul etiam convenerit, ut e:usdem initæ  
& conclusæ pacis ratificationes ex utraque parte  
Paciscentium extradantur ad manus Præfatorum Do-  
minorum Legatorum Sac. Cæs. Majestatis, & commu-  
tentur intra quindecim dies, à die subscriptionis dictæ  
pacis computandos, & citius si fieri possit: Nos huic  
conventioni satisfaciētes, eandem pacem initam &  
conclusam per omnia & singula approbavimus, confir-  
mavimus, & ratam habuimus, quemadmodum hisce  
approbamus, confirmamus, & ratam habemus: Promit-  
tentes insuper, Nos omnia & singula in præfatâ pace  
contenta, bonâ fide præstituros, & adimpleturos, om-  
niquè ratione impedituros, ne à nostris, vel aliis ullo  
modo violentur. In cujus rei fidem has majoris Sigilli  
nostri appensione muniri, & per Confessus nostri Præ-  
sidem signari curavimus, ut & per primarium Graphia-  
rium nostrum subscribi jussimus. Actum in Confessu  
nostro, die 14. mensis Maii Anno 1674.

Vidit de NASSAU.

Ad Mandatum altememoratorum  
Domin. Ordin. General.  
H. Fagel.





# ACTA ET ACTI-

# TATA RATISBONÆ IN

comitiis, & S.R. Imperio, in causa

præsentium motuum Gallicanorum

1673. 1674.

## MEMORIALE RESIDENTIS

*Regis Sueciæ D. Isaia à Puffendorff Sac.*

*Cæs. Maiestati exhibitum Vienna, super*

*captivitate D. Principis Guilielmi de*

*Furstenberg.*

## SACRACÆSAREA MAJESTAS,

Domine Clementissime.

**C**Um Autoribus quibusdam (ut vulgo jactatur legionis Granianæ Officialibus) violenta Serenissimi Domini Electoris Coloniensis ad tractatus pacis solenniter constituti Plenepotentiarii ac Legati, Excellentissimi Domini Landgravii à Furstenberg Coloniæ in viâ publicâ, die 4. (14. labentis mensis Februarii facta detentio, & mox secuta in captivitatem abductio tot & tanta rerum momenta contineat, ut vel minimus qui exinde nasceretur effectus, conventus istius re-

A

ducen-



ducendæ infinitis Christianorum votis ac gemitibus expetitæ pacis instituti & ingenti labore sumptuque non sine firmâ optati eventus spe hæctenus continuati, omnimodam dissolutionem pariturus sit : à Suâ. Reg. Maiest. Sueciæ, Rege & Domino meo Clementissimo ad munus mediatorium exercendum amplissimâ auctoritate instructi Excellentissimi atque Illustrissimi Domini Legati Extraordinarii ut mature evitarent ( quantum in ipsis est ) malorum quæ inde non sine causâ metuuntur seriem , die 6. ) 16. Februarii Nobilem quemdam ad Sac. Cæs. Majest. V. Campi Marschallum Generalem Dominum Ducem de Bourneville Bonnam ire jusserunt cum litteris factum istud indicantibus , & , ut sine omni morâ debite reparetur maximopere desiderantibus : à quo , cum aliud responsum non obtinisset, nisi quod ex additâ schedâ videre licet, se scilicet curaturum ut ea res Sac. Cæs. Majest. V. quam celerrimè nuntiaretur : in isto discrimine hærentes, ac insuper probè perspicientes factum istud à reliquis pacis causâ Colonizæ agentibus Ministris publicis ita accipi, ut ( nisi Regum Principaliumque suorum honorem nefariè prostituere, quæ sacrosancto ipsorum ministerio & corporibus debetur, securitatem ausu plus quam temerario ipsimet proderet malint ) diutius ibi commorari nequeant, discessumque non obscure jam moliantur ; promptius remedium non invenerunt quàm alium è comitatu suo Nobilem citatis equis ad me amandare , mihi que simul injungere, ut à Sac. Cæs. Majest. V. debitam atrocis illius facti, cujus ejusdem Officiales incusantur reparationem, eâ quâ par est reverentiâ obnixè peterem, auctores vero ipsos , & illorum adjuutores ac socios ad dignam pænam instantissimè poscerem. Enimverò percrebuit inter eâ Vulgi rumoibus, detentionem istam jussu Sac. Cæs. Majest. V. factam : nec diffiteor id ipsum ab Excellentissimo Domino Consiliario intimo & Aulæ Cancellario Barone Hochemo nuper præteritâ die Saturni mihi quoque , & quidem mandato ut præseferretur Majest. Vestræ. Cæs. speciali significatum esse, quoniam

niana



*super presente bello Gallicano.*

3  
niam tamen in notificatione ista præsupponebatur dictum Dominum Landgravium à Furstenberg Legati sanctimoniâ nullatenus munitum fuisse, & præterea ne verbo quidem indicabatur ipsam Coloniam à Sac. Cæs. Majest. V. executioni isti destinatum, facile apparuit Officiales istos, & in persona, & in loco, qui non Legaristantum sed & ipsis principalibus eorumque Ministris & servis vigore fidei publicæ à Sac. Cæs. Majest. V. datæ securitatem inviolabilem præstare debeat, insigniter errasse, atque adeo suæ tantum libidinis, nullatenus autem Sac. Cæs. Vestræ mandatorum executores fuisse. Quapropter à Sac. Cæs. Majest. Vestra nomine S. R. Maj. Sueciæ, vigoreque autoritatis, communi partium Belligerantium consensu ipsi concessæ, summo studio, pro me vero submissè & enixissimè contendendo, ut non tantum facinoris istius mandati prompta fiat ac decens reparatio, dictusque Dominus Landgravius à Furstenberg, unde violenter abductus fuit, jussu Sac. Cæs. Majest. V. digne suoque chatacteri congruenter restituatur, verum etiam in Officiales & eorum assecclas, ut in male consultos, temerariosque mandatorum Cæsareorum Interpretes & Trangressores, sicut delicti gravitas, & tot Regum, Principum, ac Statuum ipsiusque Majest. V. C. imprimis vero suæ Reg. Majest. Sueciæ, cujus quippe opera & interventu ipsius loci securitas procurata & specialiter obtenta fuit, honor fidesque publica, & sanctissima Legatorum jura enormissimè læsa ac violata requirere videntur, & à Sac. Cæs. Majest. Vestra tot illustribus speciminibus probato injustitiam æquitatem & pacem studio expectare fas est, severissimè, & posteritati in exemplum animadvertatur. Super quo benignum simul ac expeditum responsum expectans, Majest. Vestræ Gratia Cæsareæ devotissimè me commendo.



**Responsum Cæsareum ad superius memoriale, datum 8. Martii 1674.**

**S**acrae Cæsareae Regiaeque Majestatis nomine, Coronae Sueciae ordinario Residenti Domino Esaiæ de Puffendorff ad memoriale hisce diebus porrectum perbenignè significatur; scilicet altissime memoraram Cæsaream Majestatem ex modo allegata expositione Domini Residentis Suecici pluribus percepisse, ex quibus causis Domini Mediatores Suecici Coloniae commorantes sibi persuaserint, capturam & arrestationem Principis Wilhelmi de Furstenberg decimâ quartâ præteriti mensis Februarii subsecutam, minus justè factam, saluumque conductum. 19. Aprilis præterlapsi anni in Imperii comitiis publicatum, omnibusque Imperii Electoribus, Principibus & Statibus concessum, violatum, & proinde in Authores non solum severè animadverti, pariterque dictum Principem in libertatem restitui prætendant ac petant. Ad quæ ex clementissimo suæ Cæs. Majest. mandato, dicto Domino Suecico Residenti reponitur, altissimè memoratæ Cæs. Majest. non constitisse, & etiamnum non constare, nominatum Principem Wilhelmum de Furstenberg Legati characterè munitum fuisse, aut aliquam Plenipotentiam ab ullo Imperii Statu, quem negotium pacis concernit, produxisse, aut eam debitis locis pro notitiâ publicâ & universali exhibuisse, imo quod nec locus sit Plenipotentiae præsentè principali, nec sub nomine Familiarium, nisi qui pane & victu Domini vixerint, minime vero illi, qui diversa à diversis officia suscipiunt includantur, neque etiam si hoc facere attentasset, suam Cæs. Majest. hoc unquam admissuram fuisse, cum non deceat originis Germaniæ, & Imperii subditum, Domusque



musque Austriacæ Vasallum & Provinciale Archiducatus Austriæ, tale munus contra suam Cæs. Majest. suscipere; cum etiam omnibus rerum Germanicarum peritis abunde sit cognitum, sub nomine Electorum, Principum, & Statuum Imperii, non alios comprehendendi, aut includi, quam qui voto & sessione in comitiis gaudent, & insuper summorum Regum & Principum Legatis, ubi ejusmodi officio funguntur, minime permissum sit, in loco, ubi hoc munus exercent, delinquere, & machinationes contra Statum illius cui peculiariter ratione originis & subjectionis, vel aliis ex vinculis sunt adstricti, moliri, aliaque, quæ suæ Majest. Cæs. summæ existimationi & authoritati vel maxime præjudicarunt, facere & attentare, & hæc singula suo tempore & loco latius sint deducenda, præterquam quod ex facti notorietate orbi Christiano pateat, quanta & qualia in dispendium totius Imperii, dictus Princeps modo arrestatus commiserit; & quod belli præsentis principalis Instigator extiterit, legioni etiam Gallicæ ut Chiliarcha præfuerit, nec avocatoriis Cæsareis debitam obedientiam præstiterit, inde sane quemcumque affectibus liberum facile disjudicaturum, juste dictum Principem arrestatum, ne ei ultra sit integrum, in suæ Cæs. Maj. & totius Imperii dispendium, in prioribus vestigiis pergere, pacemque rei Christianæ tantopere necessariam impedire & sufflaminare, Quæ sane amoto tanto obstaculo & turbatore publico cum universali solatio omnium bonorum poterit facilius obtineri: & eo minus subesse causam dominis Legatis Gallicis, de dicto arresto conquerendi, cum securitate illis promissa & debita, in hodiernum diem plenissime fructi fuerint, atque in posterum fruentur, quamvis Rex Christianissimus salvum conductum Ser. D. Lotharingico Duci, ad quem vi reciprocae ex jure naturali descendens obligationis, tanquam erga Cæsaris Confœderatum tenebatur, non expediverit, imò hoc facere decreverit, & per hanc remoram progressum incepti tractatus hucusque vesteterit, sed & in super Nassaviæ



Comitem, contra securitatem à Gravellio omnibus Imperii Statibus toties & toties in dictis Comitibus promissam, arrestato, & capturâ satis gravi longo jam tempore detinuerit. Quæ cum ita se habeant, non dubitare altissimè memoratam Cæs. Maj. mentionatos Dominos Mediatores Suecicos, re altius & penitius discussâ hisce irrefragabilibus rationibus acquieturos, & sinistrum iudicium, quod de memoratâ capturâ habuerunt, deposituros, nec propter hanc, tractatum pacis toti rei Christianæ tantopere conducibilis abrupturos, sed potius ad mitiores cogitationes deventuros, & pro suo laudabili zelo eam omni opere & studio promoturos, nec unquam commissuros, ut non continuati tractatus culpa in illos jure conjiciatur. Cæterum sua Cæs. Maj. dictumque Dominum Residentem perbenigne requirit, ut hanc declarationem à Maj. Cæs. clementissime demandatam fidei ratione, & officiorum genere prosequatur, pro ut hæc & plura alia suæ Reg. Maj. Sueciæ per Dominum Comitem de Sternberg proximè pluribus exponentur, cui etiam gratiam suam Cæsaream omnimodo confirmat. Signatum Viennæ sub ejusdem Maj. Cæs. sigillo secretiori, die octavâ Martii. 1674.

**Ulterior Residentis Regis Sueciæ instantia ad Sac. Cæs. Majestatis responsum, pro restitutione Principis Furstenbergii.**

**Q**uod Sacræ Cæsareæ Regiæque Majest. Vestræ placuit sub die octavâ Martii ad memoriale nomine Regiæ Majestatis Sueciæ porrectum perbenigne respondere, hoc ipsum pluribus percepimus, & quidem sicut semper præsupposuimus Sac. Suæ Cæs. Majest. non constituisse, & etiamnum constare, Principem Wilhelmum



helmum de Furstenberg Legati caractere munitum  
fuisse, aut aliquam Plenipotentiam ab ullo Imperii Sta-  
tu (quem negotiumpacis concernit) produxisse, aut  
eam debitis locis, pro notitiâ publicâ & universali ex-  
hibuisse, imo nec locum esse Plenipotentiaē prasente  
Principali, nec sub nomine Familiarium comprehendi,  
eo quod pane & victu Domini non vixit sed diversa à  
diversis officia suscepit, nec decere aliquem originis  
Germanicæ & Imperii Subditum, Domusque Au-  
striacæ Vasallum, tale munus contra Sac. Cæs. Majest.  
suscipere, neque sub nomine Principum alios intelligi,  
quam qui voto & sessione in Comitibus gaudent, & ubi  
tali officio Legati funguntur, minime permissum esse  
in loco ubi hoc munus exercent, delinquere, ac machi-  
nationes contra Statum illius, cui peculiariter ratione o-  
riginis, & subjectionis vel aliis ex vinculis sunt adstricti,  
moliri, aliaque quæ Sac. Cæs. Majest. existimationi  
maxime præjudicarent, facere, orbique Christiano con-  
stare, quanta & qualia in dispendium totius orbis Chri-  
stiani commiserit, prasentis belli Instigator fuerit, man-  
datis avocatoris obedientiam debitam non præstiterit,  
Legionis Gallicæ Chiliarcham egerit, ideoque ne pa-  
cem ulterius sufflaminet, amotum fuisse, minusque sub-  
esse causæ Dominis Legatis Gallicis conquerendi, quod  
hucusque plenissimâ securitate fructi sint, & etiamnum  
fruantur, quamvis Rex Christianissimus Duci Lotha-  
ringico salvum conductum non expediverit, & Comi-  
tem Nassaviæ contra securitatem à Gravello omnibus  
Imperii Statibus promissam detinuerit. Licet nunc  
optatus nihil nobis accidere potuisset, quam ut gravis-  
sima hac in re Sac. Cæs. Majest. Vrae. ulteriore nostro  
accessu parcere nobis integrum fuisset, cum tamen secu-  
ritas non minus à nobis nomine altissime dictæ S. Ma-  
jest. Regiæ Sueciæ, quam Vrae Sac. R. Majest. Cæs. ipsi  
generaliter sub declaratione 19. Aprilis factâ, promissa  
dataque sit, & hinc salus gentium dependeat, fideque  
publicâ semel violatâ omnes negotiationes, & tractatus,  
proindeque omnia alia commercia hominum corrumpere



necesse sit, & è re totius Christianitatis, singulariter Sae.  
 Vrae Cæs. Majest. & Regiæ Suevicæ esse duximus, prio-  
 ri nostræ per Residentem exhibitæ implorationi hanc  
 informariionem addere, nullatenus dubitantes quin Cæs.  
 Majest. Vra. si ( prout semper præsupposuimus ) ipsi  
 constitisset, memoratum Principem c characterè Legati  
 munitum , ac in declaratione de 19. Aprilis compre-  
 hensum fuisse, & à nobis securitatem promissam, adeo  
 ignominiosam & sanguine innocentum contaminatam  
 capturam inhibuisset , cum vero notorium sit, ipsum  
 characterè munitum in declaratione Cæs. Majest. Vrae.  
 qualitate tali Principis ( qua cum affectu gaudere mul-  
 to minus ipsi captioni sed favori & gratiæ esse debet )  
 & Ministri D. Electoris Coloniensis comprehensum, à  
 nobis & omnibus aliis ad tractatum pacis Ablegatis,  
 pro tali habitum , & cum eo uti tali actum gestumve  
 esse , sumptibus Principis Electoris nec non ejusdem  
 stipendio vixisse, nomen Ministri ac Consiliarii intimi,  
 nec non ejus negotia gessisse, plenipotentiam produxis-  
 se, ipsam suam Cels. Elect. nunquam tractatibus in  
 personâ interfuisse , sed omnia per eum ejus nomine  
 gessisse , nihil ipsi unquam oppositum , vel contradi-  
 ctum fuisse, imaginari nobis non possumus quod Cæs.  
 Vra. Majest. pro conservanda sua & S. R. Maj. Sueciæ  
 authoritate & fide publicâ ( à quâ omnia mundi nego-  
 tia dependent ) in relaxando & remittendo dictum  
 Principem amplius difficilis esse possit, tum quia ad fæ-  
 licitorem præsentis tractatus exitum, quam fidei salutif-  
 que publicæ stabilimentum tendit, ac alias impossibile  
 futurum, si fides, ubi maxime exuberari debet, augustif-  
 simis cancellis includatur , restringatur, ac captiositati-  
 bus subjiciatur, bonū publicū tractatibus imposterū pro-  
 moveri possit, credimus plane nec aliter nobis persuade-  
 re possumus, quam Cæs. Majest. V. innatam in publi-  
 cum clementissimam & sincerissimam propensionem  
 non permissuram, ut indicata Ser. Domus Archiducalis  
 gloria & clementia ( ob motis tam exigui momenti dif-  
 ficultatibus ) in minimo obscuretur. Nolumus in tæ-  
 dium



dium C. ac. R. V. Majest. quicquam de iis quæ causam  
capturæ attinent meminisse, hoc verò, quia omnes  
tangit, non mœrere non possumus, quod si solâ  
suspicionem, nudisque informationibus ad ipsam mortem  
duriorem, nunquam ante hac auditam capturam proce-  
dendi, posteaq; ordine inverso, de causa processum in-  
stituendi janua aperiatur, nemo qualiscunque tandem  
sit, sine metu servire, nullum jus, nulla constitutio pu-  
blica amplius locum habere possit, sed omnia quæ de  
instituendis processibus, ordinandisque judiciis, ac re-  
center ipsius capitulationibus in jure privato & publico  
statuta sunt, irrita fore & inania, ex responso Sac. Cæs.  
Majest. V. perspeximus, ipsam informatam esse, quasi  
legatione ejus pendente, contra ipsam, ejusque altissi-  
me memoratam domum deliquerit, diversa machina-  
tus, in contemptum locutus, belli instigator sit, pacem  
publicam turbarit, hæc omnia de quovis bono dici pos-  
se nemo dubitat: sed quod sub hoc prætextu, nullo ser-  
vato juris, aut judicii ordine tam inaudito modo armis  
coadunatisque militibus, nullo discrimine nocentum  
vel innocentum habito, aliis trucidatis, aliis lætaliter læ-  
sis in civitate liberâ, loco tractatibus pacis sacratio, pro  
neutrali ab omnibus Belligerantibus habito & recogni-  
to, abduci queat, an salvis iis, quæ jure ordinata & san-  
cita sunt fieri possit, an non à mente & intentione Sac.  
Cæs. Majest. V. plane alienum sit, inquirere nolumus,  
multo minus an Subditus, an Vasallus, an mandatis avo-  
catoriis paruerit, pacem impedierit, hoc attestari possu-  
mus & non solum ex charitate Christiana, sed officii  
necessitate tenemur, nos causam | nullam habere con-  
querendi quod nullum impedimentum inierit, sed po-  
tius omnia, quæ ab ipso in hunc finem desiderari pos-  
sunt, & Principe digna sunt, ad hoc ut illa restitueretur,  
sedulo collata esse, quod Ser. Domus Austriacæ, nec  
Vasallus nec subditus, nec jutamenti vinculo obstrictus  
sit: & quamvis Parens ejus aut Frater natu major ipso  
pupillo existente, eoque incio, certa bona feudalia cum  
denominatione ejus in feudum acceperit, ipse tamen



juramentum fidelitatis non præstiterit, nihil unquam de bonis possiderit, aut possideat, imo omni expectationi tam in Imperio quam alibi fitorum plurimis ante annis in favorem DD. suorum fratrum natu majorum renunciarit, sicque libet fortunæ suæ ministerio servire studuerit, Clericus sit in majoribus constitutus, ex relationibus diversorum nobis innotuit.

Quousque erga Sac. Cæs. Maj. V. mandata avocatoria præstita in obedientia se extendat judicare non possumus; saltem hoc ad informationem celare nequimus, ipsum pendentibus hisce pacis tractatibus legionis Gallicæ Chiliarcham non egisse, nec hanc legionem unquam arma contra Sac. Cæs. Maj. Vestram portasse, sed strenue pro promovendâ pace laborasse, & ea qua par est reverentia & devotione de Sac. Cæs. Maj. V. sermones ( quorum sicut & animi unusque interpres est ) habuisse, & cum etiam in notoriis gravissimisque criminibus aliquando ea quæ cursum processus prolongant, citius expediri, quæ vero indagacionem veritatis & substantiam processus attinent, præteriri nullo modo possint, multo minus a tam acerbâ executione inchoatum sit, ac quanto magis casus præseus trahit post se in publicis & privatis præjudicium, tanto minus præcipitandum, & defensiones postponendæ fuissent. Cogimur, prioribusq; nostris inhærendo iterum enixissime Sac. Cæs. Majest. V. rogare & pro sua immortalis gloria stabilimento justitiæ ac sequela boni publici ad exemplum aliorum avertendum innocentibus timenda mala locum restitutioni sæpe dicti, Principis dare ac illam clementissime demandare dignetur. Securi nobisque de ejus hucusque perspecta ingenuitate certo pollicentes ipsum restitutione prævia talem satisfactionem daturum, ut ipsius innocentiam & devotionem Sac. Cæs. Maj. V. re ipsa perspicere liceat.

*Respon-*



*Respondetur ex parte Casarea ad pro-  
ximum responsum.*

Decretum seu Responsum ad Resi-  
dentem Suecicum de Puffendorff  
super illius memoriali, in quo Principis  
de Furstenberg liberationem urget, aliaq;  
pacis promovendæ obstacula removeri  
petit, Viennæ 29. Aprilis 1674.

**E**X Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis Domini  
nostri clementissimi mandato Coronæ Sueciæ  
Residenti, Domino Esaiæ de Puffendorff ad illius  
porrectum memoriale (in quo Principis Wilhelmi de  
Furstenberg liberationem urget, aliaque pacis obstacula  
removeri petit) perbenignè significatur, laudabilem esse  
operam & studium indefessum Dominorum Mediatorum  
Suecicorum in promovendo pacis initæ, & univer-  
salis tractatu, & proinde etiam altissimè memoratam  
Sacram Majestatem exoptasse, & etiamnum desiderare,  
ut horum intentionem optimi effectus secundent: de  
eo verò se dolere, quod penè integrum semestre pro-  
gressum pacis tractatus Rex Galliæ sufflaminaverit, non  
duntaxat mediationem Imperio propositam rejiciendo,  
sed etiam salvum conductum Duci Lotharingiæ, licet  
Imperii Princeps, & suæ Majestati Cæsareæ confœde-  
ratus sit, denegando: satis hinc patere, quale in Rege  
Galliæ sit pacis desiderium, dum omnes vias, ne ad tra-  
ctationem deveniatur, obstruit, jamque novos præte-  
xtus, cur Coloniâ Legatos revocet, effingit, modòque  
persuadere satagit, quod initam, & universalem pacem  
feriò desideraret, quam tamen omni modo abominatur,  
varia, & à re aliena obtendit, ne ad principium tracta-  
tus deveniatur: Nec enim ipsi ex capturâ dicti Principis  
ullam justam querelæ causam competere, cum Cæsarea  
Majestas



Majestas memorato Principi nullum salvum conductum unquam concesserit, neque hunc Chiliarchæ Gallico, & tot delictorum, & machinationum illicitarum reo concedendi causam habuerit: satis successu temporis demonstratum iri, quam graviter ille in Deum, & suam Majestatem Cæsaream, & universum Imperium peccaverit: pessimè, & calumniosè hunc de violato jure Gentium ab illo accusari, qui toties ipse jura Gentium fregit, & pacta pro non pactis, & non pacta pro pactis, quoties licuit, habuit, & Christianum sanguinem, ut ambitioni suæ immensæ satisfaciat, quotidie prodigè fundit: suo contentam vixisse Majestatem Cæsaream, nec nisi coactam induisse arma, & ipsam Coronam Sueciæ attestatam, violatas tabulas pacis Monasteriensis à Gallo, aut ejus milite: jus Gentium admittere, ut vis vi repellatur, ut malefactores castigentur, & ut quisque id juris sentiat, quod pro se habuit, aut allegat

Quâ enim fronte Regem Galliæ, de Cæsareâ Majestate conqueri posse, dum contra seditiosos ea peragit, quæ idem Rex quotidie in Regno suo, & quidem cum longè graviore rigore exquitur.

Moneri deinde dictum Dominum Residentem Suevicum, ne scommata & calumnias ab aliis contra suam Majestatem Cæsaream effusas, suis memorialibus annectat, ne per similibus productionem justam suspicandi causam, quasi similia ipsi non displiceant, præbeat.

Quod vero pecuniæ arrestationem Coloniae factam attinet, facile fore quæstionis resolutionem, si illud, quod ab omnibus Gentibus approbatur, non erga solum Cæsarem in dubium vocatur; cur enim non liceat suæ Majestatis militi ea, quæ ad hostes ejus spectant, intervertere? maximè cum à suâ Majestate Cæsareâ Galliæ Regi nunquam sit indultum, ut Coloniam sedem armorum, vel promptuarium omnium ad bellum necessariorum contra Imperatorem constituat, aut exinde suum exercitum com meatu, aut pecuniâ juvet: De cætero non tanti esse hanc exiguam pecuniæ summam, ut  
super



super eâ, si Gallis prosequendi pacis tractatum animus foret, non posset conniveri, prout sua Cæsarea, Regia-que Majestas per suos Legatos Dominis Mediatoribus reponi curat.

Demum suam Majestatem Cæsaream jam sæpius exposita repetere, nec, si Gallia idem velit, & obstacula removeat, prosecutionem tractatus pacis renuere, sed potius omni conatu anniti velle, ne Dominorum Mediatorum labor & industria debito effectu destituatur. Cui de reliquo Sacra Cæsarea Majestas gratiam suam Cæsaream in omne tempus confirmat. Signatum Vinnæ 29. Aprilis Anno 1674.

Memoriale Residentis Suecici à  
Puffendorff ad Sac. Cæs. Majestatem  
in puncto incaptivationis Principis Fur-  
stnbergii, & pecuniæ Gallicæ Colonix  
detentæ.

*Sacra Cæsarea Majestas, Domine Cle-  
mentissime &c.*

**Q**uid de conventu reducendæ pacis causâ Colonix instituto sperandum aut timendum nobis sit, dum hinc Dominorum Generalium Deputati Plenipotentarii in litteris ad Dominos Mediatore non ita pridem exaratis discessum non obscure minantur, ni circa solennem illam Ministrorum Lotharingicorum admissionem ipsis satis fiat, illinc verò Christianissimus Galliarum Rex Legatos suos Extraordinarios Coloniam domum revocare instituit, postquam captivitate Principis Wilhelmi à Furstenberg Serenissimi Electoris Coloniensis Plenipotentarii, nec non paulò post infecutæ pecuniæ Gallicæ, aliorumque ad dictos Legatos pertinentium detentione, securitatem loco tractatus tot nominibus debitam, insigniter adeò, & quidem hæctenus impunè,  
& absque



& absque reparationis spe violari vidit Sac. Cæs. Majestatis Vestrae vel suorum relationibus satis jam innouit. Et ab his ipsis Sac. Cæs. Majestati Vestrae illud sine dubio indicatum fuit, quâ industriâ, curâ ac sollicitudine Domini Mediatore*s* infinitam illam imminentium motuum seriem intercipere conati sunt, quodq; nihil eorum intermiserunt, quæ ad removenda illa infelici adeo fidere nata dicam, an inventa negotium pacis sufflaminantia obstacula, & impediendam conventus illius dissolutionem facere quid posse videbantur. Licet enim cuilibet æquo rerum æstimatori haud difficulter apparuerit, solennem illam, quæ à parte Dominorum Ordinum Generalium instanter adeo & enixè postulabatur, Deputatorum Lotharingicorum admissionem, in ordine ad illû tractatum rem non solum omnino novam, sed & ab instituto conventu alienam esse, eoque minus illuc trahi debere, quò magis alio modo feliciter ac commodè controversia ista, quæ Galliam inter & Lotharingiam intercedit, terminari potuerit, ex alterâ verò parte violatam securitatem publicam vix ac ne vix quidem juris aliquo colore palliari posse: ut tamen, quantum in ipsis est, omnium desideriis satisfiat, paxq; eò magis firma ac universalis obtineatur, mutua in auspicatorum istorum obstaculorum remotione difficultates illas quam optimè tolli posse crediderunt, & dum apud Christianissimum Gallia Regem omni nisu id agunt, ut quæ ob bonum adeo finem expetitur, Lotharingicam admissionem ulterius non deneget, mihi injunxerè, ut, quæ pro liberatione Principis Furstenbergii à mense Februario usque huc agitata sunt, denuò repeterem, tandemque à Majestate vestra Cæsarea exorarem, ut & ipsamet eam ad promovendos tractatus facilitatem afferre dignetur, quam tantoperè ab aliis postulari debere judicavit. Invenient sine dubio instantiæ istæ eò citius locum apud Sac. Cæs. Majestatem vestram, quod à sacra Regia Majestate Sueciae, Rege, & Domino meo Clementissimo specialissimis propterea mandatis instructus sum, quæ postquam æquâ lance

à Domi-



à Domino Comite Sternebergio pro asserenda dictæ captivitatis justitia allegatas rationes secum perpendit, tanti ponderis esse non credidit, ut proin istud, & bonis omnibus tantoperè experitum restabiliendæ pacis opus propterea impediri, aut Princeps Furstenbergicus a Generalissimo illo Sac. Cæs. Majestatis vestræ salvo conductu excludi debeat, jam splendor ille Principalis, quo vel ipso Sac. Cæs. Majestatis vestræ beneficio fulget, personæ ipsi inhærens dignitas sit, nec à territoriis, quorum intuitu vota in Comitibus Imperii communiter ferri sueverunt, dependeat, multò minus per nexum feudalem, quò cuidam ex constaribus obstringitur, ita obfuscarî possit, ut eam ob causam instar meri subditi haberi debeat, quem vel natalium felicitas, vel Majest. vestræ Cæsareæ favor Principum numero inseruere. Quid quod plenitentia ritè concepta & cum ea, quam Dominorum Generalium Legati habuere, solemniter commutata, nec non salvo conductu munitus fuerit, nec præsumatur Sac. Cæs. Majestatem vestram ab Electoribus & Principibus Imperii postulaturam, ut sine interventu & ope Ministrorum suorum cum Legatis aut Deputatis aliorum Principum immediatè imposteriorum agant ac disceptent.

Quod si verò præter eas, quas in responsione ad memoriale meum productas conspeximus rationes (quæ in adjunctis duobus scriptis satis debilitatæ creduntur) arcana quædam sint, quibus Sac. Cæs. Majestati vestræ justam indignationem infeliciter in sese concitaverit sæpè dictus Princeps, tantum sibi pollicetur de innata Sac. Cæs. Majestati vestræ generositate sacra Regia Majestas Sueciæ, ut firmiter credat Sac. Cæs. Majestatem vestram publicæ utilitati privatam vindictam magno animo condonaturam, pulcherimoque victoriæ genere, se ipsam scilicet vincendo, pacem tot Christianorum myriadibus tam enixè expetitam Europæ reddituram esse.

Id ipsum ut solemnî aliquâ declaratione primâ quoque die mihi exhibenda publicè innotescat, sacra Regia  
Maje-



Majestas Sueciæ amicè quidem ac fraternè à Sac. Cæs. Majestate vestra requirit, ego verò illius jussu Sac. Cæs. Majestatem vestram, cujus gratiæ simul devotissimè me commendo, enixè ac indefinenter propterea oro atque obsecro

Sacræ Cæsareæ Majestatis vestræ

*Humillimus & obsequiosissimus servus  
Esaias de Puffendorff.*

*Regis Christianissimi literæ super hac captura exarata ad suos ubi ubi hærentes  
Ministros 24. Febr. 1674.*

**Q**uod magis sacrum in fide publicâ, jure gentium ac pacis alicujus negotiatione; quodque Europa tora aviter desiderat ac sperat, in Persona Principis de Furstenberg ita violatum invenitur; ut non dubitem, quin attentatū simile, indignationem generalem contra eos, qui se authores declarabunt, sit excitaturum. A tempore enim quo per interpositionem & mediationem Regis Sueciæ pro bello amovendo, intentionem meam notam feci, Rex magnæ Britanniæ ad id non minus favorabiles dispositiones adhibuit, & Princeps Elector Coloniensis & Episcopus Monasteriensis menti nostræ se conformarunt, ut Civitas Coloniensis, quam tunc pro loco tractatum Pacis designaveramus, à Dominis Statuum Generalium unitarum Provinciarum Belgii, ipsorumq; confœderatis acceptata, pacis ac publicæ securitatis sedes in medio armorum effecta fuerit: ex tunc enim Ministri & Plenipotentarii Principum omnium quorum intererat, ad illam fide data conven-

tunt.



runt : sed quia legio D. Marchionis de Grana ab aliquo tempore Coloniae in praesidio fuerat , imendum erat, ne copiae sibi obediens neutralitatem laederent : Rex Sueciae huic difficultati per Ministrum suum Viennae occurrit, litterae quarum copiae his jungentur, ad oculum demonstrant, quam solemnem obligationem in initio tractatus se Imperator constrinxerit , qui & in Ratisbonensi dieta securitatem Ministris Principum ad tractatum Pacis destinatis maxime necessariam promiserat. Interea didici 14. hujus Principem Guilielmum de Furstenberg Electoris Coloniensis Plenipotentiarium, & ab omnibus Ministris & Legatis in hac urbe degentibus, imo à Legatis Imperatoris , Regis Hispaniarum ac Statuum Generalium pro tali habitum & acceptatum, pleno die ab Officialibus & militibus legionis de Grana Bonnâ in hunc finem missis, suis prope se occisis, & magno numero laesis, invasum fuisse, & per portas favore militum de Grana, ( qui ex portis unam custodiebant, quique violentiae huic favebant ) delatum, per legiones aliquas Cæsareas extra portam expectantes , Bonnam deductum esse intelligo : quod autem de tali actu cognovi , illud est , quod nempe omnes Principes, qui in hoc pacis tractatu Ministros habent, in hac praenominata Plenipotentiarium personam aequaliter laedantur, illudque (quo nihil sanctius in verbis & salvis conductibus invenitur) violetur , ac toti Europae in ruptura tractatus pacis ( unde requiem sperabat ) jactura maxima adferatur. Verum & illud me & magnae Britanniae Regem laedit gravius, quia cum Electore Coloniensi confederati, illeque nobis in armis contra Generales Status conjunctus erat. Quamvis autem ab Officialibus Cæsareis ejusque copiis, hunc actum violentum fuisse patratum noverim : id tamen ex jussu & mandato factum credere necdum volui : poenae tamen Reis infligendae, libertasque Principi Guilielmo incessanter restituenda, haesitantem clarius edocebunt, & quid credendum sit in lucem dabunt : Si autem scitu proprio, vel etiam impunitate, & auctoritate sua violentiam



hanc tam palpabilem non solum fidei publicæ, verum etiam eidem, quam in dieta toti concesserat Imperio, contrariam foverit: poterit exinde totum Imperium cognoscere dilucidè, has dirumpendi conferentias pacis, Imperatorem non tantum affectasse, verum etiam (ne optata pax è manibus suis arma tolleret) timuisse: quæ tamen postquam sub vano & frivolo Germaniæ libertatis prætextu arripuit, Germaniam ipsam minus conservant, sed opprimunt magis, dum magnam ejus partem per exercitus sui transitum vastaverit: unum Electorem spoliaverit, & quod usque modo copias suas in locis indifferenter Rheno adjacentibus subsistere faciat, modumque quærat, quo bellum diutius valeat continuare: imo nil in Principe Guilielmo incepit, quod consequenter & magis impunè in aliis quoque Principibus (libertatem eis adimendo) facere intendat.

Hæc Inimicorum acta à pace omninò aliena, Legatisque, quibus tractandi de super cura commissa erat) nimis periculosa, eo me deduxerunt ut (ni illatæ injuriæ reparationem, quæ & mihi & Confœderatis meis illata est, expectarem confidenter) Legatos meos Colonia revocarem, & conventum illum (qui toti Europæ pacem dare potest) dissiparem: ideoque, donec quæ Imperatoris sit sententia palam fiat, Legatis meis Coloniae degentibus ibidem adhuc commorari mandavi, & pacis negotia (quæ inutiliter tractarent & continuarent) suspendere præcepi: & dum inimici nostri pacis tractatum per vias extraordinarias rumpere moliantur, iisdem Legatis meis mandavi, ut id ipsum omnibus Plenipotentiaris, & Legatis Regis Sueciæ, qui præ cæteris ratione interesse Regis sui securitatisque publicæ læduntur, (quæ eorum mediatione salva consistere debuisset) significare velint, illudque omnibus meis jubeo ut omnibus exterarum nationum aulis id notum faciant: certus enim sum, quod quo plus inimici mei viis ita odiosis ad impediendum pacem utantur, quam ego omnibus modis procurare & promovere conatus fui, eo amplius in scilicet aliorum Principum indignationem æquitatis aman-

tium



tium commovebunt: meam vero armorumq; meorum  
iustitiam palam facient & amplius manifestabunt. Hæc  
etiam quæ vobis mandavi D. N. N. communicabitis,  
nec dubito quin præ oculis ponet ea, quæ circa amicitiam  
suam desiderare poterò. De cœtero Deum rogabo  
ut Dominationem diu nobis incolumem conservet. Da-  
tum Versaliae 24. Febr. 1674.

*Signatum erat*

L U D O V I C U S

*& infra*

A R N A U D

*Rex Christianissimus revocat suos Pleni-  
potentiarios Colonia domum 27. Martii 1674.*

**Q**uanquam factum istud in Personam Principis  
Wilhelmi de Furstenberg Plenipotentiarum Sere-  
nissimi Electoris Coloniensis in loco conferentiæ Pacis  
per Officiales & Milites Legionis Granianæ commis-  
sum fuerit: hujus tamen authorem Sac. Cæs. Majest.  
fore Rex Christianissimus credere minime potuit: cum  
nihil tam inviolabile, quam in verbis suis fides cense-  
ri debeat: unde fidem illam omnibus Europæ totius Le-  
gatis in dieta Ratisbonensi pro assecuratione neutralita-  
tis talis civitatis datam, à Sac. Cæs. Majest. violari pos-  
se, si quis crederet, illi magnam omnino injuriam infer-  
ret. Hoc Majest. sua considerans, de actione tam o-  
diosâ judicium suum suspendere voluit, tempusque ex-  
spectans, ut Sac. Cæs. Majest. per justam pœnam de facti  
executoribus sumptam, se minime eorum actibus con-  
sensisse ostendat: illudque in causâ fuit, quare Rex fi-  
dem datam pro tractatu Pacis infringere noluit: &  
quamquam sufficientem causam revocandi suos neu-  
tralitas læsa dederit: noluit tamen Christianissimus illos  
Coloniâ discedere: quod verò Sac. Majest. apprehende-

B a

bat:



bat : nimis verum ex sequentibus compertum est; dum  
 eadem securitas violata fuit non solum in Persona Mini-  
 stri Principis Confœderati suæ Maj. sed in Legatis, &  
 ipsorum mobilibus arrestatis, per ejusdem Sac. Cæs.  
 Majest. milites; dum in curru ipsorum, pecunias suæ  
 Christianis. Maj. ex mādato cōmendantis legionis Gra-  
 nianæ in civitate libera & toti mundo cōmuni detinue-  
 runt, Cursorem (qui mittebatur ad Comitem Chamilly  
 arrestarunt & visiterunt; tandem Colonia quæ securitati  
 publicæ erat consecrata, facta est theatrum languino-  
 lentum, & in qua per juramentum se obstrinxerant, pro  
 ejusdem conservatione, in illa pro voluntate sua omne  
 machinantur malum. Quamquam autem hæc ex Sac.  
 Cæs. Majest. mandato facta fuisse sua Majest. credere  
 vix potuerit: lubensque pro gloria ipsius ultra intentio-  
 nem ejus hæc facta esse, sibi persuaderet: verum ex re-  
 sponso Ministro Regis Sueciæ dato clarum nimis est,  
 non tantum Principis Wilhelmi capturam, sed & illud  
 contra suos Legatos attentatum ex Sac. Cæs. Maj. jussu  
 processisse. Itaque sibi & Legatorum suorum consulere  
 securitati volens, simili violentiæ illos diutius non vult  
 expositos, ne toti Europæ inde summa indignatio oria-  
 tur: idcirco sua Majest. illis mandat ut totum Sueciæ  
 Legatis (qui nomine sui Principalis mediationis toto  
 decursu hujus congregationis munere functi sint) com-  
 municent, & à sua Maj. dicant se revocatos. Quantum  
 ad ineundum pacem sua Majest. contribuerit, quantam-  
 que violentiam ad illam impediendam Sac. Cæs. Maj.  
 impenderit, omnes testabuntur: unde justissimas sua  
 Majest. habebit causas ulciscendi per arma sua irroga-  
 tum despectum & sibi & suæ intentioni quæ erat per  
 bella ad pacem devenire, à qua se Imperator per vias in-  
 tolerabiles elongat. Si totum Imperium modum a-  
 gendi suæ Sac. Cæs. Majest. attendat, videbit luce cla-  
 tius, quod occultet rationes præjudicabiles libertati.  
 Nihil ita injustitiam manifestat, quam conatus & odio-  
 sus modus ad illam, Sac. Majest. Cæsarea congressum  
 ad pacem impedire intendisset: per attentatum tale hu-  
 manæ



manæ societati contrarium, & indignum hoc tentare non debuisset, locū congregationis non violasset, neque personam Legatorū Franciæ nec à suis Officialibus in civitate libera attineri permisisset suæ Majest. pecunias. Magis honorifice egisset, si bellum, quod suæ Majest. indixit, finiendum, minus apprehendisset; quamdiu conferentiæ durabant & Mediatores partes interessatas unire conabantur, tamdiu se in periculo depositionis armorum per pacem Imperator videbat, simulque perdendi occasionem usurpandi eâ potestate, quâ usus fuit anno præterito, ponendo militem suum in hyberniiis apud Principes Imperii; fortificando illum expensis ipsorum: contraveniendo expresse tractatibus Pacis Westphaliæ, & conscribendo militem tam potentem & formidabilem ad libertatem Germanicam (per bella varia sanguinolenta & diuturna reductam) iterum tollendam, timebatque tandem quod (imposito sine conventioni Coloniensi) ubi & bello finis impositus fuisset) quærelæ extraneæ, ipsius contra Imperium intentionem impedivissent. Sua Majest. non dubitat, quin non solum Rex Sueciæ (qui huic negotio potissime interessatus est, utpote Depositarius & Mediator) verum omnes Principes pacis amatores ob fidelitatis defectum hanc rupturam Imperatori imputabunt. Toti Imperio constare potest, quod (si ejusdem cum Rege Imperator intentionis fuisset, nempe tractatum Westphalicum de non dandis auxiliis inimicis Franciæ, ad quod se sua Majest. obligabat revocando ex Germaniâ militem suum, quam primum de hoc assecurata fuisset) conservandi à longo tempore tranquillitas & firma pax in Imperio restituta fuisset. Sua Majest. adhuc in tali intentione perseverat, neque justitia (quæ ipsum impulit ad bellum) à quiete Imperii, neque ab armorum suorum successu (quibus Deus benedicere velit) affectum suum avertit, se feliciorum non credendo, quam si reduxerit inimicos suos ad pacem. Datū Versaliæ 27. Mart. 1674.

*Erat signatum*

LUDOVICUS

*Et paulo inferius*

ARNAULD.

B 3

*Hanc*



Hanc declarationem ubi DD.  
Mediatores intimassent DD.  
Plenipotentiariis Batavicis, respon-  
dent ipsi ut sequitur.

*Litteræ DD. de BEVERNINCK, & de  
ISBRANDS Legatorum Extraordina-  
riorum Præpotentium DD. Generalium Uniti  
Belgii Statuum, & eorum Plenipotentiariorum apud  
Pacis tractatum Colonia, Dominis Regia Majestatis Sue-  
ciæ Legatis Extraordinariis, ejusque ad dictam Pacem  
Mediatoribus exhibita 26. Aprilis. Anno 1674. super  
rupturâ congressus, curâ & sollicitudine altè factâ  
sue Majestatis in dictam urbem convocati, causatâ  
per discessum Dominorum Gallia Legatorum.*

*Domini.*

**Q**Uoad intimationem Dominis Ordinibus Gene-  
ralibus Uniti Belgii Principalibus nostris, per nos  
factam, super declaratione nobis à vestris Excellentiss  
datâ, ad mandatum discessûs Dominis Gallia Legatis  
missum, sub prætextu contento in memoriali, quod suis  
Excellentiss nobis communicare placuit; jussi sumus  
expressè, prius cum Dominis Confœderatorum nostro-  
rum Ministris conferre, super re tanti momenti, & de-  
inde significare vestris Excellentiss communem no-  
stram sententiam.

Idcirco eis dicere tenemur, de expresso Principalium  
nostrorum mandato, deque unanimi Confœderato-  
rum nostrorum sententiâ, quod valdè nos subita ejus-  
modi resolutio, nec adeò ea benè fundata, tamque to-  
tius Europæ expectationi, universæque Christianitatis  
bono adversaria perculerit, tantoque magis, quod Do-  
mini Status Principales nostris nec directè, nec inde-  
rectè



rectè participant in causâ Domini *Principis* Guilielmi de *Furstenberg*; quodq; nec ipsi potuerint hucusque informari super causis, quibus mota sua Majestas Cæsarea personam hujus *Principis* abduxerit captivam. Verum tam hæc, quam alia allegata dicti memorialis fileamus, veluti quæ nos minimè concernunt, & ejusmodi, quibus non dubitamus, futurum ut fortiter respondeatur ex parte suæ Cæsareæ Majestatis, minimè capere possumus, quî Gallia hæc ob causam potuerit motu proprio congressum abrumpere, quem communis omnium utrimque *Interessatorum* consensus indixerat, cumque in memoriali hac super re in publicam emissio lucem prætendat ex raptu dicti *Principis* negotium toti congregationi commune facere, de super licere ei judicare fas neutrquam est, neque in ejus solius stare arbitrio, occasionem arripere eam hoc pacto infrigendi, spreâ diligentiam vestrarum *Excellentiarum*, quâ dimovere ab his attentis conatæ, contra etiam mentem, voluntatem, & petitiones instantes suorummet *Confœderatorum*, & specialiter suæ Celsitudinis *Electoralis* *Coloniensis*, speciosiore licet *Galliâ* habentis titulum, se negotio dicti *Principis* immiscendi. Vidimus etiam, quod quidquid impedimenti, seu remoræ, hoc ex prætextu ratificationi, executionique nostrorum tractatum cum *Angliæ* Coronâ injecit, sua Majestas *Britannica* iniquum judicârit, nec conveniens, negotiationem tantam, bonoque publico adeò necessariam, interesse particulari appendere; quodque Dominus *Monasteriensis* *Princeps*, hisce non obstantibus, ad sui pacis tractatus conclusionem nobiscum processerit; quodque demum nec *Serenissimus* *Sueciæ* *Rex* judicârit à suâ se mediatione hujus novi incidentis ergò desistere debere; sed mox præceperit vestris *Excellentiis*, ne propterea à loco congressus discederent; ita ut *Gallia* in totâ hac congregatione non generaliter solum, verum etiam particulariter consideratâ, in suismet *Confœderatis*, sola in suâ optione reperiat, per eam solam, & ob factum, eam non nisi indirectè concernens, hic congressus sit solutus.



Nec per vestras Excellentias, nec per ullum sanæ mentis unquam iri approbatum credimus, quod Rex Galliæ solâ suâ authoritate, tam debilibus nixus moti- vis, retardet cursum negociationis, à quâ dependet com- munis tranquillitas, irritasque faciat tot sollicitudines, laboresque à vestris Excellentis à tanto tempore ad fœ- licem pacis progressum impensos.

Quod si verò vestræ Excellentiæ sese reflectere non graventur ad præterita, facile judicabunt, ex omni Galliæ ratione, & modo agendi, quod nunquam veram in- tentionem pacis generalis ineundæ habuerit, omnemq; moverit lapidem, quò sincerum, & solidum tractatum everteret, nil quæsierit aliud, nisi nostrorum Confœde- ratorum interesse à nostro separare; semper rejecerit, de- cisionem materiarum majoris momenti, ad tractatus particulares, vel arbitria; Quoad id verò, quod præ- potentias nostras specialiter respicit, prætensiones Gal- liæ semper tales fuere, quæ nihil aliud, quam totalem suorum Statuum ruinam, & interitum secum trahunt.

Benè etiam advertimus, estque quod speremus, Mundum universum notasse, quod à multis ab hinc Mensibus aliud optaret nihil, quàm hanc congrega- tionem solvi: cum verò in rupturâ præire noilet, nul- lam non intermisit praxim, quâ nos hinc cogeret pri- mos, ut sic omnem culpam, & communem invidiam in nos derivaret.

Hoc in proposito omnimodè conati sunt ejus Legati nostram, nostrorumque Confœderatorum patientiam fatigare, tam suarum petitionum exorbitantiâ, quam mediolorum propositorum impossibilitate, & præcipuè procrastinando nobis responsum, ad diversas instantias à Vestris Excellentis factas nostrâ ex parte, pro *salvo conductu* necessariò Deputatis suæ Celsitudinis *Lotha- ringiæ*; etsi non ignorarent, ex nostris declarationibus iteratis, quod nos nostrique Confœderati non possemus (honore, conscientia, & securitate salvis,) quoquomodo ulterius in materiam progredi, nisi præviâ satisfactione datâ super puncto ad eò essentiali & justo: quod ipsum

ab



ab univerſo Mundo generaliter improbatum fuit, à Seniffimo adeò Rege Sueciæ, Extraordinario Galliæ Legato, ultimâ Decembris anni præterlapſi respondente; Verum nec indefeſſi labores Veſtrarum Excellentiarum, nec noſtræ petitiones æquiſſimæ, nec publicum bonum valuerunt eos de alto ſilentio extrahere, quo à nonâ Octobris anni præteriti detinuère hucusque ſeriam pacis negociationem, ſcientes ſe non poſſe ſalvos conductus negare, ſine omnium vilipendio, nec concedere ſine finis ſibi propoſiti transgreſſione aditum ad generalem tractatum patefaciendo.

Quamvis hæ tergiverſationes, quæ firmiſſimam patientiam evertere voluiſſent, nobis juſtam præbuerunt anſam hiæ neutiquam diutius oriandi, evidenterque oſtenderint, eorum ex parte nil boni ſperandum, maluiſimus tamen diſſimulare eas, & hanc agendi rationem tolerare tam inconvenientem, quam aliquam dare cauſam contra nos agendi, quod aut impatientiâ, aut feſtinatione, vel minimum attuliſſemus paci obſtaculum.

Speramus idcirco futurum, ut Veſtræ Excellentiæ, uti Mediatrix æquiſſimæ & minimè intereſſatæ, juſtitiâ & modeſtiam omnis actionis noſtræ ſint approbaturæ, omneſque ii, qui verâ negocii informatione fuerint inſtructi, daturi, quod durante curſu omnis hujuſce negociationis, tot nos, noſtrique Confœderati facilitates attulerimus, atque ſinceras inclinationes ad progreſſum pacis, quor Gallia difficultates & obſtacula; quod tandem ultimâ hac reſolutione propoſitum à longo tempore conceptum diſſipandi hunc congreſſum manifeſtârît, cumq; nequiêrit, eò nos perducere ſuâ agendi methodo, ut primi rumperemus, prætextum hodiernum in actum redigere coacta fuit, ut exequatur id, quod jam à multo tempore præmeditata fuerat.

Tenemur itaque coram Veſtris Excellentiiſ, & toto Chriſtiano Orbe tam ſuarum Præpotentiarum, quam noſtrorum Confœderatorum nomine proteſtari, nunquam penes nos nec ſteſiſſe, nec de facto ſtare, quo minus continuetur negociatio incepta, quæ quidem antè



Principis Guilielmi captivitatem terminari potuisset, nisi Gallia ejus cursum retardasset modis supra allatis; siquidem ea facta decimo sexto Kalend. Martii præteriti, salvi verò conductus Deputatis suæ Celsitudinis Lotharingæ postulati sollicitatique fuere die secundâ post nonas Octobris anni præteriti. Addimus, nos eandem continuare negotiationem adhuc paratos esse omni possibili conatu, si modo reperiamus huc dispositam partem adversam; quodque intereâ maneamus coram Deo, & hominibus, ab omnibus malis, funestisque successibus erupturâ hujusce congressus, & continuatione belli generandis liberi.

Dereliquo, mandatum est nobis, Vestris Excellentissimis dicere, ut ut res acciderit, Dominos nostros Principales, ipsis semper obligatissimos remansuros, pro labore, diligentiaq; tranquillitati publicæ, suorumque Statuum particulari impensis, nosque semper sincerè futuros,

D. D.

*Vestrarum Excellentiarum humillimè  
& obsequentissimi servi,*

H. de Beverningk. J. Isbrandts.

Coloniæ sexto Kalend. Maij 1674.

DECLA-



# DECLARATIO

Dn. Legati Burgundici, S.R.I. Comitiiis per Dict. publicam 6. (16.)

Martii 1674. Communicata Serenissimi Principis Electoris Coloniensis 19.

(29.) Dec. 1673. dictatum Memoriale concernens.

*Reverendissimi, Illustrissimi, Amplissimi,  
& Doctissimi, Electorum, Principum, Statuum  
& Ordinum Sacri Romani Imperii Legati, Domini  
plurimum honorandi. &c.*

**F** T si ad illud, quod Serenissimi Principis Electoris Coloniensis nomine 29. Dec. Anno proximè elapso, hisce Comitiiis scripto expositum fuit, in quantum de Regiæ Catholicæ Majestatis Copiis, ibi mentio incidit, nihil hætenus ediderit dixeritque Burgundica Legatio, hoc tamen rationum penuriæ, quæ facili calamo in contrarium afferri possent, minime imputandum esse, verum nulla opus fuisse refutatione elucidando negotio, quisque sibi persuasum habebit, cui non ignotus omnino fuit rerum jam in Imperio nostro turbatum Status, atque Origo. Ne tamen iis, quæ inani prorsus fundamento in Regiam Catholicam Majestatem, Dominum meum Clementissimum, Memoriali inserta sunt, silendo fortè assentiri videremur, pauca celeberrimis hisce Comitiiis exponere injunctum fuit.

Et quidem imprimis, non sine attentione perlectum ibidem fuisse, memoratum Dominum & Principem Electorem, totum quærelarum suarum pondus, in Regem meum constituere in eo, quod cum illius Copiæ Confœderatarum Provinciarum Copiis conjunctæ fuerint, sibi hoc tanto acerbius visum sit, quod tanquam



quam Imperii membrum ac Status, auxiliarem manum adversus dictos Ordines, avertendis per tot Annos perpeffis oppressionibus, præbere potius debuisset, atque ita sibi Guarantiam, à Regia Catholica Majestate, tanquam Imperii membro modo præstandam fuisse insinuare prætendit, cum tamen, quid ad instantissimas Anno 1667. Burgundicæ Legationis in Instr. Pacis meliori causa fundatas Guarantiæ, & mutui auxilii petitiones adversus Christianiss Regis, in Regem Infantem ac Reginam viduam violenta Imperii membro ac Circulo Burgundico illata arma, atque alias aliorum Statuum Guarantiam Imperii implorantium quærelas, non ita pridem ex parte Principis Electoris visum fuerit, acta comitorum abundè demonstrant? His tamen sepositis, Regiam Catholicam Majestatem ( licet Imperii membrum ) ejusve copias, in Instr. Pacis, ac Constitutionum Imperii Sanctiones ( uti prætenditur ) impegisse, aut quidquam ab illo alienum, quod Imperii Statui incumberet perpetrasse, ex adductis in memoriali rationibus nullatenus poterit inferri: imo verò comperitum est, Principem Electorem Coloniensem periculosus, ac vanis rationum commentis inductum vel seductum potius ( quod in tanto Principe pacis aliàs ac tranquillitatis studioso summopere dolendum ) ut sese tanquam fomitem proprio suo damno, non ponderatis forte, quæ hinc pullulare poterant malis, exposuerit, unde nunc excitatum incendium, quo totum Rom: Imperium involvendum iri, non levibus indiciis metuendum est.

Regem meum Clementissimum, hoc motuum statu nihil egisse constat, nisi quod ipse Dominus Princeps Elector, vigore Instr. Pacis Monasteriensis, tanquam Imperii libero Statui sibi licitum fuisse causatur, si enim Fœdera cum extero Rege in proprium emolumentum, atque sua recuperandi causâ, pangendi jus habuisse contendit, eodem jure Regi meo cum Unitarum Belgarum Provin. Ordinibus ad majorem Circuli Burgundici securitatem, & conservationem paciscendi, etiam ut Imperii



perii membro liberum fuisse, necessario atque pari ratione fatendum est.

Disparem tamen, utriusque Armorum & Fœderum scopum fuisse ex eventu colligendum: siquidem Regis mei Copiæ non nisi ad pellendum Imperio hostem Gallum, atque Cæsari (qui omnes Imperii Status ad eijciendum turbatorem, vindicandamque Imperio illatam vim exhortatus fuerat) obtemperandum eductæ fuerunt: Ne aliàs Regia Catholica Majestas, quasi fidelitatis erga Imperium immemor, illius incendii otiosum se spectatorem tantum exhibuisse dici posset, sicque nihil minùs, quàm quod Instrumentum pacis oppugnet (quo contra Imperatorem, Imperium, pacemque publicam fœdera inhibentur) actum fuisse palam est: ex adverso autem ipsum Principem Electorem occasione cum Christianissimo Rege fœderis in Imperatorem, Imperium, pacemque ejus publicam peccasse, (pace ejus dixerim) constatque ex eo. quod invito Imperatore, atq; irrequisitis Statibus, Christianissimo Regi, viam aditumque apperuerit, toti Circulo Burgundico Archi-Episcopatu Treverensi, aliisque Principi Electori Coloniensi vicinis Imperii Statibus, tam gravia inferendi damna, ac specie necessarij transitus, tantis exhauriendi devastationibus, ut cladium in seram posteritatem vix unquam delenda sit memoria, atque ita ipse Dominus Elector, tanquam causa damni, damnum Constatibus & membris Imperii intulisse meritò censendus sit, sibi que soli illud de quo conqueritur malum, nullique alteri debeat imputare.

Contra Imperatorem verò egisse, imò se ultrò hostem exhibuisse, nemo perperam judicabit, cui non ignotum est, Sacram Cæsaream Majest. comitiis Imperialibus 28. Augusti, Anno 1673. declarare curasse, Imperatorii muneris esse, seque implendo capitulationis Cæsareæ sacramento obstrictum, ut Gallorum armis, hospitationibus indebitis, stativis, aliisque pacifragis machinationibus, non solum contra commune Pacis Instrumentum, sed etiam in Tractatu 1. Novemb.

An.



An. 1671. inito, datam fidem, oppressos Imp. Status ac Circulos tueretur, ut everfas Alsatia Imperiales Civitates (quas spreteis Pacis Legibus, contemptisque utrinque Electis Arbitris, prostraverat Rex Christianissimus) protegeret, ut illis ab eodem Imperii Sanctionibus Comitiorum, placitis ac admonitionibus, exustum atque dirutum Argentinensium Pontem restaurari curaret, verbo, ut Imperii nostri Turbatorem intra Regni sui fines subsistere cogeret, ad quae omnia exequenda quam paternam sollicitudine, conservando Imperio, quotquot sunt fideles Imperii Status excitaverit Sacra Caesarea Majestas, acta publica luculenter testantur.

Quibus tamen non attentis, Princeps Elector postposita boni publici ratione, Copias suas Turrennio, in Franconiam Imperii medietatem usque, auxiliares ac socias submittere nihil cunctatus est, atque illius contra Pacem publicam molimina (quae ipse ut Imperii Status ac Membrum ulcisci potius debuisset) armis propugnando, Ministro Gallico (qui scripto hisce Comitibus 1. May. 1673. exhibito, Status Imperii ut a Caesare alieni essent hortatus fuerat) solus promptissimum contra Caesarem se praebuit obtemperatorem, sicque Pacem publicam turbare potius, quam stabilire nihil veritus est, cum tamen praefatae a Caesarea Majestate contra Regem Christianissimum adductae rationes, alterius essent ponderis, quam illae, quibus minus speciosè in dicto Memoriali exprimebatur, Principem Electorem nihil contra Imperium ejusve Status moliendi, sed sua tantum propugnandi atque recuperandi in animo habuisse. Quasi verò in Wetteraviam, Archi-Episc. Moguntinensem, Franconiam, Palatinatum, Archi-Episcopatum Trevirensis, aliasque Principum, ac Imperii Statuum Regiones, pro sua adversus Confœderatorum Ordd. Copias defensione, aut ad recuperandum, quod ad Archi-Episcopatum suum spectasset, infestum ablegare militem necesse fuisset. Quas tamen omnes, licet dicto Domino Electori nihil in illas juris esset, Copiae ipsius sub Turrennii signis militantes, atque contra Caesarem

Caesarem



farem, illosque Status ac Circulos, qui se tueri conabantur, armorum sociæ, effrænata licentia peragrarunt, omnique devastationis genere exhausserunt, & non secus ac si in hostico essent, ad excidium usque oppresserunt, quo sanè evagari opus non fuisset, si amicis Cæsaris, ac Regis mei Clementissimi intercessionibus, vel suo tantum, non tot innoxiorum Statuum dispendio, id quod postliminiò sibi asserere statuerat, recuperare statuisset.

Quæ cum ita sint, & de quibus tanquam in facto Veris nihil ambigendum, nulla sanè, saltem justa, expostulandi causa subesse potest; siquidem ex supradictis jure meritò ac potiori causa illi objici possit (quod Regi meo Clementissimo exprobrare conatur sæpè dictus Princeps Elector) sui muneris fuisse, Imperii membris ac Constatibus contra Regem exterum auxiliarem manuum copiis suis porrigendi potius, quam huic illas adjungere, atque armis, comæatu, receptu, aliisque Westphalicæ pacis Legibus vetitis modis, se illi præbere auxiliatorem.

Qualem tamen Vicini Status vi bellicâ exhausti, atque ad incitas pœnè redacti, jubente licet Pacis Instrumento, atque Imperii Constitutionibus, experiri haut potuerunt. Eò, quod in Franconiam usque (ut dictum est) Cæsari obviam suum submittere hosti socium militem libuerit, atque *Bonnam, Cæsaris Insulam, Novesium*, cæteraque propugnacula propriò nudare, sed Gallico munire præsidio, ipsumque Leodiensem Episcopatum (cui tamen nihil cum Rhimbergâ) tanquam pro derelicto Gallorum relinquere imperio, quam illius Anno 1654. tam prompto conatu à Constatibus præstitæ sibi Guarantiæ vicissim recordari.

Quibus perpensis, atque attentatâ communi ac recepta belli ratione, atque armorum nomâ, quâ hostium Confœderati, socii, alleclæ, & fautores, hostibus non absimiles reputari solent, non est quod sæpè memoratus Princeps Elector nullam sibi peculiarem belli indictionem factam fuisse conqueratur.

Neque enim aliter inimicum compellare, aut feciales mittere necesse erat illi, qui facto se ipsum talem adversus

versus



versus Cæsarem, atque Imperii Status, uti demonstratum est, ostentare non verebatur.

An igitur rebus sic constitutis ac demonstratis, sæpè memorati Domini Principis Electoris causa, tanquam in Instrumento pacis, ac Imperii constitutionibus fundata (ut ait) ob commune quod in ea versari prætendit interesse, à Regiâ Catholicâ Majest. amplectenda fuerit, quisque tranquillitatis ac Imperii nostri securitatis amans, facili negotio discernere poterit.

Et hæc quidem ex multis quæ neminem latent, & quæ jure meritò allegari potuissent rationib. dicta sufficiant, non quod Potentissimo Hispaniarum Regi, Burgundiæ Duci, Domino meo Clementissimo, ullum superesse dubium possit, celeberrimum hunc comitiorum Conventum, Domini Principis Electoris nullo fundamento innixæ petitioni, sed potius Cæsareæ Majestatis de protegendo Imperio justissimis exhortationibus, accessurum, verum ut omnes persuasos esse velit, nihil contra Imperium, ejusq; membra sic turbatis rebus, & ne quidem contra dictum Principem Electorem quidquam tentasse, neque tentandi in animo habuisse, quod Westphalicæ pacis legibus repugnet. Imò, ubi suo ac Imperii hosti Regi Christianissimo, in Imperii præjudicium suppetiari quocunq; modo destiterit, & Cæsari aliisque Imperii Statibus tuendo contra vim exterorum Imperio opem, operam addixerit, illum ipsum omni quâ par est amicitia, atque eâ, qua Imperii membrum ergà omnes, & singulos Status decet fide atque defensionis mutux studio, & Guarentia ad asserendam contra quoscunq; turbatores Imperii libertatem constanter profecuturum, atque omni modo semper allaboraturum, ut pax inter belligerantes firma, honesta, ac perpetua ineatur, uti jam ejus ope ac sollicitudine, Anglis ac Batavis,



vis pacem rediisse ubique innotuit. Datum Ratisbo-  
næ 12. Martii 1674.

Reverendis : Illustris : Amplissi-  
morum & Doctissimorum Dominorum,  
Sacri Romani Imperii Legatorum.

*Ad Officia quævis paratissimus.*

Ludovicus de la Neuveforge,  
Sacrae Catholicae Majest. pro cir-  
culo Burgundico ad comitia Im-  
perii Delegatus.

**D E C R E T U M**

*Ex speciali mandato Sacrae Cas. Majestatis,  
per ejusdem Principalem Commissarium, &c.*

*Ratisbona Electorali Moguntino Imperii Di-  
rectorio exhibitum, & 8. (18.) Martii,*

*An. 1674. publicè dictatum.*

**R**omanorum Imperatoris , Domini nostri Cle-  
mentissimi ad præsentem comitiorum diem con-  
stitutus Plenipotentarius Spectatissimus Commissarius  
Principalis, Reverendissimus Princeps ac Dominus, D.  
MARQUARDUS Episcopus &c. ( Tit. ) nullus am-  
bigit , quin Electorum, Principum & Statuum hîc con-  
gregati præclarissimi Domini Consiliarii, Internuncii,  
Legati



Legati, & Oratores recenti adhuc memoriâ teneant, quod prædictæ Imperii conventioni periculum S. R. Imperii, patriæ nostræ charissimæ, diversis vicibus non sine motu cordiali remonstratum, eisdemque pariter annexâ requisitione, & pia intentione ad mentem revocatum sit, super allegato periculo maturè deliberare, seseque super ejusmodi resolvere medio, quo periculum hoc radicitus everti, omnimodè averti, sacrumque Imp. Romanum, atque ejusdem Electores, Principes & Status, cum appertinentibus eorum terris Regionibus ac subditis in stabili quiete & securitate teneri & conservari possint, prout eo fine, in sinceram unanimumque conjunctionem inter supremum Imperii caput, ejusque omnia & singula membra, ex affectu benivolentiæ delatum consensumque est. Cum verò nunc interim periculum non modò non remiserit, sed de die in diem, ut pròh dolor! experientia docet, notabiliter accreverit, intuitu, quòd Regia arma Gallica in Imperii fundum ac territorium violenter irruerint, variosque Electores, Principes & Status, hostiliter aggressa sint, eorumque terras & incolas exspoliationibus, aliisque calamitatibus extremæ ruinæ exposuerint: & quidem recenter Electoralem suam Serenitatem Palatinam in suis Dominiis obruerint, urbemque unà cum Arce Germersheimiensem, vi & furore occupaverint, hinc altissimè memorata Cæs. sua Majestas impræteribilis necessitatis esse duxit, modernas grassantes periculosissimas conjuncturas, Imperii Septemviris, Principibus ac Statibus iteratò coram hoc comitiorum præsentè consessu, animorum commotis sensibus repræsentandi, eisdemque vigore hujus in copia hic adjuncti Clementissimi rescripti, quod hesternâ Imperialis hujus Commissionis Cameræ exhibitum est, ad generosam non retardandam resolutionem capescendam, & cordatam unitamque combinationem nervosius exhortandi. Quemadmodum nunc in mora est periculum, nec res procrastinationem patitur, celsissimè dicta sua Cæsarea Majestas benignissimè anhelat negotium hoc citrà dilationem propositioni deman-

dari,



dati, superq; eo in vim urgentis necessitatis deliberari. ita benè fati D. Principalis Commissarii Reverendissima Celsitudo indubitatè confidit, simul ac Electorum, Principum Statuumq; plenam potentiam habentes Consiliarios, Nuncios & Legatos hisce, & omni meliori modo requisitos, & eos sui muneris principalis Commissariatus ratione, haud immemores vult, quò negotium tam necessarium, & universo Romano Imperio conducibile, absque tergiversationibus maturæ declarationi subjiciât, & periculo proportionatum medium penes se concludant salubriter, imprimis verò suæ Cæs. Majestatis, clementissimæ intentioni & paternæ sollicitudini, unanimæ conventionis & Ligæ ergò talitè secudent succurrantque, qualiter ob oculos versans imminensque discrimen, & patriæ nostræ suavissimæ extrema angustia, nec minùs conservatio ac vindictio Germanæ libertatis, & Reipublicæ Christianæ incolumitas repostulare dignoscatur; interim Celsissima sua Eminentia præsentibus excellentissimis Dominis Consiliariis, Nunciis & Ablegatis, in testimonium humanæ, gratiosæ ac magnificæ voluntatis iterum iterumque permanet addictissima. Signatum Ratisbonæ. 17. Martii 1674.

(L. S.) MARQUARDUS.

*ADIVNCTVM,*

LEOPOLDUS, Divinâ favente Clementiâ Electus Roman. Imperator. &c.

*Reverendissime Princeps, chare & devote, honorabilis item, pererudite, Dilectè fidelis. &c.*

**C**Oram devotione tua, & te, ulteriori enarratione haud opus est, sed pròh dolor! jam antè, tum ex



notorietate facti, tum eò ipso, quod nos præfenti Imperii congregationi Ratisbonæ successivè proponi curavimus, sat luculenter patet, quàm terribiliter interim Corona Franciæ, adversus Ordines Generales Uniti Belgii suscepto Marte offensivo, unum & alterum, S. R. Imperii fidelissimorum Principum Electorum ac Statuum, nullâ ad id datâ justâ causâ, etiam contrâ omnes ab ea prius, tam verbotenus quàm oretenus factas meliores contestationes, & assecurationes invaserit, in eorûq; terris ac dominiis, pro libitu suo fortalitia & urbes occupando, subditos opprimendo, exigendo contributiones, intrudendo in quartiras militem suum, obsidendo Imperii transitus, aliâsque omnis generis indefensibiles hostilitates exercendo, ferro flammaque, præda & necedæverit, non excluso hoc, quod per invasionem sub nostra, Imperiique tutela & devotione compræhensi Castri Fridburgensis, incinerationem Pontis Rhenani Argentorati, per insultum, utramque in urbem Colmariam & Schetstadium, adversus placitum in eadem controversa causa, & ab ejusdem Statibus concessum & indultum arbitrium, hostilem Archidiecæseos expugnationem, atque adeò violentam direptionem Electoralis Metropolis & Residentis urbis Trevirorum, prout etiam recens elapsâ æstate subsequutum impetum, ac devastationem Franconiæ, Electoralis & superioris Rhenani circuli, præcipuè septemviralis ac principalis Palatinatus, & nuper adhuc per captivam abductionem Comitis Nassoviæ, aliôsque modos quamplurimos evenit.

Jam cum Nobis super his omnibus, dilecti nostri Avunculi, Electoris Palatini, juxta ejus literas, de dato 20. Februarii recentis, stylo veteri, cognoscere datum fit, non attento, quòd ipse à Regis Galliæ Legato Marchione de Bethune, apud Aulam suam Residente, multis sincerationibus de Regis amicitia sectrus, etiam ratione damnorum superiore anno, per Exercitum Turreinicum, & aliâs causatorum & perpefforum, satisfactio eidem addicta fuerit, intereà nihilominus ambo

Generales



Generales Lieutinantii, Marchiones de Rochefort & Vaubrun, cum suis sub se merentibus, & ad tempus in Burgundia, Alsatia & Lotharingia subsistentibus copiis, citra opinionem Rhenano Tractui appropinquârunt, & nulla declaratione præviâ in dilectionis suæ Satrapam Germersheimiensem fecêre impetum, eandem urbem Satrapalem cinxêre, & tormentis bellicis admotis unâ cum Arce occupârunt, diversos ejus Officiales & subditos captos abegêre, & id genus alias causavêre inimicitias, non reformidantes, juxtâ exhibitam fide dignam informationem in Satrapiam Neustadiensem, & cæteras ad eandem pertinentes Civitates & loca irruere, ad quem insanem procedendi modum præfatus Marchio de Bethune, hac frivola & nulla profus hucusque præensione ulus est, quasi Nobis sua dilectio, medio cujusdam 14. Januarii elapsi nuper clausi & subscripti Tractatûs, dictam urbem Satrapalem Germersheimium cedere se devinxisset, cum tamen hoc nunquam factum, & posito, ita tractatum fuisse, Corona tamen Franciæ eo ipso nullam habuisset ansam, tam hostili viâ adversus tam Excellentem & magnum Electorem, Imperiique Statum, & quidem in Imperii Fundo progrediendi, undè colligere licet perfacilè, quàm parum, & nulliter promissis ex parte Galliæ securitatibus fidendum, ejusmodi quoque hostiles processus nil aliter, quam quædam Instrumento pacis, & omnium Gentium juribus è diametro contraria, non solùm suæ dilectionis Electoratu ac Provinciis, sed universo etiam Imperio Romano, & Germanæ libertati nocivissima ac dânosissima attêrat, ad diligentissimè concepta coarctatio, & contraventio, reputandi & habendi sint. Quo super Nos tuæ devotioni ac tibi, eum in finem clementissimas partes dedimus, ac mandare voluimus, sic respectu incumbentis sibi Cæsareæ Commissionis, ulteriora ordinet, ut inique hæc gesta & acta Statibus, non solùm mediante publica & consueta dictatura aperiantur, sed opus etiam ipsum citrà moram, in propositione



veniat, de superque sanius deliberetur. Et ipsis Statibus ipsum Imperio quò diutius eò magis intentandum periculum & desolatio pluribus argumentis & motivis repræsentanda, iidemq; penetrabilius admonendi erunt, ut sedulò tandem oculare & evidens discrimen benè ac maturè perpendant, animo sinceri patriotæ nativo inducant, & conservationem Germanæ libertatis, & rei Christianæ incolumitatem, prout cujusvis fidelis patriotæ requirit obligatio, summæ curæ habeant, media & vias sollicitè sectantes, quibus per generosæ resolutionis apprehensionem, sinceram unanimemque ac cordatam confœderationem, inter supremum Imperii Christiani caput & membra conjuncta afflictis ac desolatis Principibus Electoribus & Statibus (præcipuè in hac fractura Electoris Palatini) manus subsidionalis præberi, hostis ab Imperii fundo repelli, & Pax tam caro empta redempta & acquisita pretio, quies & tranquillitas in S. Rom. Imperium reduci ac importari queant. Nos etenim nostris partibus non deerimus, prout hucusque ita imposterum, omni virium conatu laborandi ac promovendi id, quod ad scopum tam salutarem consequendum utile ac proficuum censebitur, & hunc in finem jam tam nostro Campi-Marschallo, Duci de Borneville in mandatis clementissimè dedimus suæ dilectioni militum notabili peditum equitumque numero, citrà neglectum & dilationem succurrendi, quibus omnibus devotio tua ac tu, pro manifesta dexteritate sua ulterius satisfacere, & jus procurare noveritis: & nos eis ipsis interim Cæsareâ gratiâ favore & bono addictissimi permanemus. Datum in Civitate nostra Viennæ, 10. Martii. 1674. Regnorum nostrorum Romani 16. Hungarici 19. & Bohemici 18. Annis.

**LEOPOLDUS**

Ut.

Leopoldus Wilhemus Comes  
in Königseck.

*Ad mandatum Sac. Cæs. Maj. proprium*  
Wilh. Sbhroder.

**DECRE-**



**Decretum Cæsareum pro discessu Legati  
Gallici D. Roberti de Gravel Vienna. 19.***Martii. 1674.*

**S**Acra Cæsareæ Majestatis Domini nostri Clemen-  
tissimi nomine Serenissimi Galliarum Regis Chri-  
stianissimi ad comitia Imperialia, Ratisbonæ præsentis  
Legato Plenipotentiaro Domino Roberto de Gravel,  
hisce intimandum, quem in modum cum altè memo-  
rata Majestas sua Cæsarea hæctenus observavit, eundem  
de Gravel, toto quo ibidem commoratus est tempore,  
in id unicè intendisse, atq; allaborasse, quo sacri Imperii  
membra atq; Status nō solum per frivolas, sinistraq; infor-  
mationes, à supremo suo capite abstraheret, sed per do-  
losas etiam suggestiones inter se collideret, nihilque de  
cætero in se reliquum faceret, quod ad totalē Status pu-  
blici confusionem, sacrique Imperii everisionem, quo-  
quo modo conferre posset, cūque ad hæc in propatulo  
sit, supradictum Regem ejus Dominum contra pacis  
Monasteriensis, Osnabrugensisque pacta multifaria  
egisse, atque agere, dumque copias suas suapte sponte,  
& Marte proprio per Imperium ducit, in quartiria seu  
hospitia distribuit, contributionum onera imponit, &  
exigit, omniaque ferro, flammaque devastat, urbes  
item, munitaque loca vi armata occupat, demolitur-  
que, atque evertit, ac alias insuper enormissimas hostili-  
tates exercet, dictam Pacem Westphalicam manifestè,  
& irrefragabiliter violasse, sicque re ipsâ Cæsareæ suæ  
Majestatis, sacrique Imperii hostem factum esse. Et  
verò rei totius Germaniæ publicæ summo præjudicio  
vituperioque, ac universali etiam scandalo cessurum esse,  
si manifesti ejusmodi hostis minister in præsentibus co-  
mitiis Imperialibus Ratisbonæ diutiùs toleraretur. Ea-  
dem sacra sua Cæsarea Majestas his, aliisque gravissimis  
ex causis ad relegationem instrumenti ad eò nocivi justè  
permota fuerit, quæ proinde eidem Roberto de Gravel  
vigore præsentis decreti intimare seriò voluit, ut intra



spacium ter viginti quatuor horarum illicò à præsentatione hujus decreti sibi facta computandarum, Ratisbonâ, utpote comitorum loco se proripiat, atque abscedat, quem in finem eidem adjacente hic salvo conductu provisum, hac cautione additâ, quod si decreto huic debitè ita haud paruerit, præscripto abitus sui termino effluxo, omnis ipsi securitas (cujus postmodum imposita) simul sit expiratura. De quo eidem notum esse voluit hujus decreti vi, quod signabatur in Cancellariâ Imperiali aulicâ sub sigillo Sacræ suæ Cæsareæ Majestatis secreto, Viennæ decimâ nonâ Martii 1674.

Ut Leopoldus Guilielmus  
Comes in Königsegg.

(L. S.)

Christoph. Bever.

Sacræ Cæsareæ Majestatis Domini  
nostri Clementissimi nomine Serenissimi  
Galliarum Regis Christianissimi, ad comitia Imperialia Ratisbonæ præsentis Legato Plenipotentiario  
Domino Roberto de Gravell intimandum.

*Salvus conductus pro eodem Legato Gallico  
Roberto de Gravell, datus Vienna*

*19. Martii 1674.*

LEOPOLDUS,

**U**Niversis, & singulis nostris, & sacri Romani Imperii Principibus benevolentiam, gratiamque nostram



stram Cæsaream, & omne bonum, quibus notum facimus præsentium exhibitoem Serenissimi Franciæ Regis Christianissimi, in nostri, sacrique Imperii civitate Ratisbonâ hoc tempore commorantem Plenipotentiarium Robertum de Gravell, è modo dictâ civitate discessurû esse, cui, & ut eò securius inde recedere, atq; proficisci valeat, præsentibus hisce liberi passus litteris, salvoque conductu à die sui Ratisbonâ discessus per tres septimanas duraturo itâ providendum duximus, ut intra eundem terminum inde se in Galliam recipere possit. Proindè dilectiones ac devotiones vestras benevolè, clementerque requirimus, aliisque verò seriò, districteque, atque expressè mandamus, ut præfato termino durante, dictum Robertum de Gravell unâ cum comitibus, familiaribus, famulis, equis, curribus, navibus, sarcinis, rebusque quas secum habiturus est, terrâ, & aquâ tutè, securè, ac expedite ire, transire, atque proficisci sinant, & sinatis, nec permittant, aut permittatis, ut ipsi quidquam molestiæ, aut impedimenti afferatur, quin potius si necessitas, vel ipse itâ postulaverit, ipsum viarû monstratoribus, equis, curribus, navibus, aliisque rebus ad securius citiusque iter suum conficiendum juvent, atque juvetis, idque à suis quoque fieri curent, curerisve. Facturi sunt in eo dilectiones, devotionesque, & vos, rem nobis pergratam, benevolentiam, gratiaque nostrâ Cæsareâ, occasione data agnoscendam, reliqui verò hac in parte expressam, seriamque voluntatem nostram exequentur. *Viennæ 19. Martii 1674.*



*Conclusum Imperiale,*

*de dato 31. Martii 1674. contra Galliarum  
Regem Ratisbona publicatum.*

**Q**UOD nomine, ac de clementissimo mandato Romanorum Imperatoris Domini nostri benignissimi, ab eisdem Excellentissimo ad præsentem comitorum diem & confessum, Plenipotentiaro Principali Commissario, Reverendissimo Principe ac Domino D. Marquardo Episcopo, & sacri Romani Imperii Principe Eystadiensi, ratione indies quò diutius eò magis incrementum periculorum hostilitatum, Electoribus Principibus & Statibus repræsentari, & in memoriam revocari placuit, in tribus Imperii Collegiis, ex altissimè memorati Celsissimi Principis enunciato, & 18. hujus per dictaturam publicam communicato decreto, ejusque adjuncto pluribus videre licet, nequaquam intermittendo, id ipsum debitæ subjiciendum deliberationi; prout nunc omnimodè & imprimis celsissimè dictæ Sac. Cæs. suæ Majestati, pro sacri ejusdem Romani Imperii liberatione ac conservatione, nec minùs pro stabilitone tam caro acquisitæ pacis & tranquillitatis, laudatissimæ ac gloriosissimæ perennaturæ zelosissimæ & paternæ sollicitudini, devotissimæ ac submississimæ referuntur grates, ità semper æquum & justum reputatum fuit, Electorali suæ Serenitati Palatinæ & aliis, ab exteris potestatibus, afflictis Statibus, vigore constitutionum Imperialium & pacis Instrumenti, de jure taliterque succurrere, & sapidam vindicationem procurare, ut violentâ & hostili invasione exempti, unâ cum reliquis Electoribus, Principibus, Ordinibusque in statu pacifico vivere ac conservari queant. Quod penes etiam conclusum præcipuè sperata tandem puncti securitatis consolidatio ac firmatio, ad realem coactionem copiarum in iis Circulis, in quibus earum adhuc defectus existit, imprimis verò insignis adiuncta compositio



positio supremum inter caput, & ejus membra, vel maximè conduciis ac necessaria considerata & perpensa fuit: Et hoc ipsum altissimè memoratæ Sac. Cæs. Majestatis D. Principalis Commissarii Celsissimi Principis, Electorum Statuumque præsentis Consilarii, Nuncii, & Alegati, more & in forma debita hisce significatum voluere, recommendantes se interim decentissimè præter omnem possibilem adhibendam diligentiam. Signatum Ratisbonæ. 31. Martii 1674.

(L. S.)

Electoralis Moguntina Cancellaria

---

*Imperiale Arbitramentum de Trevirensi  
Archidiecesi, hostilitatibus Gallicis eximenda,  
Ratisbona 7. Apr. 1674.*

**I**mperatoris Romanorum Domini nostri clementissimi, ad moderna comitia Plenipotentiario Excellentissimo Principali Commissario, Reverendissimo Principi ac Domino, D. Marquardo Episcopo, & sacri Romani Imperii Principi Eychstadiensi, hisce debito modo significatur, qualiter coram præsentis Imperiali Congregatione, Eminentissimus Elector Trevirensis ratione continuatarum adhuc in terris suis, & quò diutius eò magis ingravescentium Gallicanarum hostilitatum & angustiarum iteratum memoriale vigore adjunctæ copiæ, & pro actuali guarantiæ præstatione, sollicita valdè & humili requisitione exhiberi fecerit, quod jam dictum memoriale, & ejus simul occasione, suæ quoque Cæsareæ Majestatis, ad Principum Electorum & Statuum ea propter jam tum editum Imperiale arbitramentum insecuta, & 22. Septembris proxima



mè elapsi anni consimiliter per dictaturam communica-  
 ra benignissima resolutio in tribus Imperii Collegiis de-  
 bitæ propositioni ac deliberationi subjecta sunt. Cum  
 jam omnibus ulterius perpensis circumstantiis, idem  
 considerari voluerit, huic rei tunc temporis ex scripto ad  
 Coronam Regiam Franciæ destinato consultum non  
 fore, tam necessarium quàm æquum ratum conclu-  
 sumque est, Reverendissimo & Eminentissimo Electori  
 Trevirensi, cæterisque afflictis Statibus, indilatâ, ju-  
 stâ, heroicâ actuali conjunctione prout liberatio, ac  
 conservatio universalis patriæ, Instrumentum pacis, &  
 Imperii constitutiones ultra citroque repostulant, taliter  
 succurrendum esse, ut ii omnibus his angustiis saluber-  
 rimè eximi, & in posterum omni meliori modo salvari,  
 & competentem omnium damnorum & interesse satis-  
 factionem obtinere queant. Quo prævio &c. Signa-  
 tum Ratisbonæ 7tima Aprilis Anno 1674.

(L. S.)

Electoralis Moguntina  
 Cancellaria.

*Conclusum per Salisburgum 23. Apr. 1674.  
 de mittenda Circularis militis parte  
 jam parata.*

**P**osteaquàm à Romana Cæs. Majestate ad concessū  
 31. recens elapsi mensis Martii propter illatas Se-  
 renissimo Electori Palatino ab exteris potestatibus ho-  
 stilitates, Imperiale arbitramentum, exhibita clemen-  
 tissima resolutio, non minus ibidem decimâ hujus di-  
 ctatum Palatino-Electorale scriptum, à Collegio prin-  
 cipali in ordinariam revocata essent deliberationem,  
 quali-



qualiter præactum Imperiale arbitrium ad effectum realem perducendum, ac consequenter ab extremâ armorum violentiâ oppressibus Statibus succurrendum, diversæ opiniones intervenissent, inter eas illa vel maxime prævaluit, quæ eò directâ fuit, ut omnibus adhuc viribus allaboraretur pro puncto securitatis publicæ ad perfectum & absolutum promovendo statum. Cum vero advertatur, plenariam istius expeditionem adhuc paululum procrastinandam, econtâ autem præ oculis posita ingruelcentia magis magisque pericula, moram diuturniorem pati non posse; eapropter jam tum resoluti circuli & Status, suas in armis conspicuas copias in evidens auxilium afflictorum Statuum citrà tardationem progrediendi destinandas, easque cum subsistentibus ad Rhenum Cæsarianis jungendas, alios verò nondum rectè dispositos Circulos ad consimilem fructuosam collectionem & ordinationem vigore præfati securitatis puncti ipsis competentium quantorum Circularium, eum in finem, ut deficientes viros pari modo indilatè postmitterent, excitârunt, & sic per universum sæpius Imperium ab oppressis Statibus quæsita Guarantia, tenore constitutionum Imperialium & Instrumenti pacis effectivè præstaretur, quæ statuta Imperialia & pacis conclusa semper itâ observanda, ut ejuscemodi imperialibus Subditis in præjudicium & gravamen vicinorum Statuum, per contributionum exactiones, aut aliàs nullatenus abuti liceat.

*Conclusum Electoralis Collegii de dato 23.  
Apr. 1674. de accelerando circularis militis subsidio.*

**I** Audatissimum Electorale Collegium perspexit, quam Romana Cæs. Majestas, Dominus noster Clementissimus ad concessum clementissimè sub dato  
31 cla-



31. elapsi mensis, Imperiale arbitrium, vigore dictati vigesimâ hujus Cæsareæ Commissionis decreti iteratò clementissimam resolutionem communicare dignata fuerit, & sua Electoralis Serenitas Palatina ipsamet promatura & celeri assistentia ad præsentem Imperii congregationem, antè nominatis decimâ currentis dictaturæ exhibitis literis concordantes destinari curârit, insimulque non defuerit, quin ambæ illæ debitæ deliberationis lanci appenderentur. Jam verò cum summa rei in eo consistere videatur, ut illud ipsum, quod vigore proallegati Imperialis arbitramenti resolutum declaratumque est, præviâ celsissime memoratæ Cæsareæ Majestatis subsequuta clementissima approbatione & ulteriori cognitione, pro quibus omnibus eidem demississimæ referuntur grates, jam tandem ad realem expeditionem & implementum promoveatur. Hinc considerando periculum in mora esse, Imperii militem cum Sac. suæ Cæsareæ Majestatis exercitu conjungere, & eum in finem ab eadem, quemadmodum idcirco hisce devotissimè requiritur, Imperii Circulos instantissimè adhortari placuit, ut non modò ii, qui jam tum viris viribusque suis accincti, sed in aliis etiam nondum ad plenariam & absolutam expeditionem resolutis, milite provisi Status, ab omni parte copias suas circa decernendum in dictis excitatoriis ab altissimè memorata Cæsarea sua Majestate tempus & locum ablegent, nec minus reliqui Status, in quibus adhuc defectus, æqualiter suam quotam adferant & cuniant, ut consequenter viribus conjunctis & Serenissimus Palatinus, & Eminentissimus Trevirensis Electores, aliique oppressi ordines à quærelis & violenta invasione liberari, & in pacificum tranquillumque statum collocari possint; ita tamen, ut Imperii Constitutiones, & pacis Instrumentum taliter considerentur, ne præfati Imperialis subsidii in præjudicium & gravamen vicinorum Statuum, contributionibus, exactiōibus aut alio modo & via abusus fiat, sed in puncto hoc prius memoratis Imperii constitutionib. & pacis conclusio ubiq; conformiter procedatur.

*Regii*



*Regii Gallicani Legati Plenipotentiarum D.  
Roberti de Gravelle dimissio ex comitiis Ra-  
tisbonensibus, notificata S.R.I. Sta-  
tuum Legatis.*

**R**omanorum Imperatoris Domini nostri Clemen-  
tissimi, ad præsentem Imperii congregationem  
Plenipotentiarum Excellentissimus Principalis Com-  
missarius, Electorum Principum & Statuum præsen-  
tibus Consiliariis, Nunciis & Ablegatis, per copias  
hisce inclusum communicare voluit debuitque, quibus  
de causis altissimè dicta sua Majestas Cæsarea commota  
fuerit, in conventu hoc per aliquot annos commoran-  
tem Regio-Gallicum Plenipotentiarum Dominum  
Robertum de Gravelle dimittere, eidemque hunc in  
finem salvum conductum in scriptis cum præfixione e-  
jus abitus & discessus clementissimè impartiri, cum jam  
sua Cæsarea Majestas clementissimè existimarit,  
prædictum Dominum de Gravelle, ejusmodi Cæsareæ  
dispositioni debitam præstiturum obedientiam, & ad  
præfixum in securitatem suam terminum observandum  
sua sponte inclinatum esse, hinc alte memorati Domini  
Principalis Commissarii, Electorum Principum & Sta-  
tuum ad præsentia comitia Deputatis Plenipotentiarum,  
Consiliariis, Nunciis & Ablegatis, pro nuda solummo-  
do informatione & cognitione, modo de mandato cle-  
mentissimè, tum ratione primùm nominato D. de Gra-  
velle dati Cæsarei Decreti, quàm adjuncti salvi condu-  
ctus, Ordines citrà defectum & moram attribuere vo-  
luerunt, permanentes. &c. Datum Ratisbonæ 23.  
Aprilis. 1674.

(L. S.) MARQUARDUS

Deci-



*Decisio Tractatum Muhlhausii inchoatorum, à Superioris Inferiorisq; Saxonie, aliisque confinibus Circulis, in diceta circulari Norimbergæ 8. (18.) Ianuarii 1674. conclusorum.*

**C**Um in ultimo hic Norimbergæ in civitate Imperiali 5. Julii. 25. Junii 1673. & 9. Augusti, 30. Julii ejusdem anni Bambergæ habito conventu circulari, æquum visum, & conclusum, ad avertendum imminenti huic circulo belli periculum, cum confinibus potissimum Superioris, ac Inferioris Saxonie laudabiliter correspondentibus circulis, incertam, reciprocamque defensionem coalescere, eumque in finem prævis Serenissimi Electoris Saxonicæ invitatoriis, in comitiis Muhlhausiensibus comparere, prout & factum, atque à quaternis scamnis deputatio facta: res autem cōsiderationum obvenientium, ac quorundam punctorum causâ in ultiolem D. D. Principalium deliberationem ac decisionem protracta sit; nihilo tamen minùs conjunctiones periculosæ, bellique motus ubivis ferè in Imperio enascentur, ac plures porrò vere, & æstate proximis nobis incumbere possint: uterque Circuli Convocator Princeps Reverendissimus Dominus Petrus Philippus, Episcopus Bambergensis, & Serenissimus Dominus Christianus Ernestus, Marchio Brandenburgicus &c. comitia circularia in dictam hanc civitatem Norimbergensem ad 18. mensis Ianuarii necessario indicenda, ibidemque conjunctim deliberandum ac concludendum, nec non inchoatos Muhlhausiæ tractatus finiendos, viresque in justam limitum circularium defensionem, secundum constitutionem Imperii, & executionis ordinem sociandas existimaverunt.

Quemadmodum ergò Principum, Statuumque hujus circuli Consilarii & Deputati, exhibitis plenipotentiis suis præfixis die ac loco haud gravatè se stiterunt,  
 Domino-



Dominorumque Principalium committentium, ac Superiorum loco, ad concurrendum in iis, con- & auxilio, quæ ad Circuli hujus, totiusque sacri Romani Imperii pacatum, quietumque statum conducere poterunt, fideliter sese obtulerunt; ita super punctis à laudabili Directorio Bambergensi propositis, satius deliberatum, & in modum sequentem concluderunt.

I.

Postquam præter spem omnem, & fiduciam meliorem, *punctus securitatis Imperii publicæ*, durantibus Comitibus Ratisbonensibus indecisus hucusque permansit, vi cuius per unanimum Circulorum omnium conjunctionem particulari defensione, & reciproca assistentiâ minimè opus, nec etiamnum de optato ejus fine, & effectu obtinendo innotescat; placitum conclusumque est, ut interea ad omne imminens discrimen meliorem modo avertendum, inchoari nuper ab hoc, & Saxonix utriusque, laudabilibus Circulis, conjunctionis tractatus, in certum & justum statum redigantur, consequenter placitum nuper 3200. militum numerus ilico colligatur, in legiones duas distribuatur, & è pediatu melioris conformitatis ergò quod in campo eques plurimum habeat præstare, quadrigenti ad equitatum reducantur, atque ita nongenti triginta tres equites, ac duo millia peditum in omnem necessitatis eventum, & postulationem utriusque Circulo ritè, certoque in subsidium mittantur, eâ nimirum fiduciâ fore, ut dictus uterque Circulus factâ pariter declaratione in conjunctionem ac defensionem consentiat, eamque suâ ex parte simul stabiliat, atque confirmet, quem in finem, præter recessûs hujus communicationem juxta tenorem *lit. A* debite requirendam, hacque super re declaratio expectanda.

II.

Quod si verò laudabilis hic Circulus (id quod  
D avertant



avertant Superi) ab ingentibus militum copiis ad aera superioris deplorandam Catastrophem infectus haberetur, neque utriusque Circuli *quantum* sufficeret, aut tractatus citra spem ad exitum optatum non adeo facile perduceretur, Serenissimus Dominus Circuli praeses de consilio, pariter & assensu adjunctorum ab utroque dicto, alisque correspondentibus, finitimisque Circulis secundum tactae Imperialis executionis ordinationem copias auxiliares debite requiret: Laudabiles autem Status confidunt penitus, nec dubitant, quin prius *generalis conventus Circularis* (cujus facta mentio) constitutus, proque necessitatis exigentia, debitae requisitionis mandatoriales Circuli Praesidi, ejusque subordinatis traditae fuerint. Quod si per morae periculum repentinumque casum *generalis* Circuli conventus fieri haud queat commodè à D. D. Directore, Circulique convocatoribus, & meliore quovis modo deliberari, requisitionem fieri, debitamque potestatem (cui omnes obsequantur, neque ullus contraveniat) tribui, Principibus etiam, Statibusque universis rerum conditionem quamprimum communicari oportebit,

## III.

Cum etiam sacra Caesarea Majestas sub consultationis hujus exordium, post praemissorum mox duorum punctorum conclusionem excellentissimam Legatione sua laudabilem hunc circulem Conventum condecorare, paternamque curam pro sacri Romani Imperii conservatione, ac praecipue pro Circuli hujus securitate, & bono universis Circuli Statibus proponere, nec non impendens periculum repraesentare, eosque adjustam armorum conjunctionem adhortari, nec minus toti huic Circulo, in omnem necessitatis casum auxiliares manus clementissime appromittere digna sit, quam humillimae idcirco sub lit. B. agenda gratiae, cunctique Status constanti protectioni & gratiae Caesareae commendandi sunt: dein ad demonstrandam obsequentissimam



nam fidem, ac devotionem Excellentissimo Domino Legato declarandum, non solum secundum Clementissimam sacrae Cæsareæ Majestatis, (juxta tenorem lit. C.) & sincerissimam intentionem, ambas Legiones mox complendas, & necessariis omnibus instruendas, nec non juxta Tractatus Muhlhausiensis unum equitum, peditemque duo millia quamprimum colligenda, sed & proximè majorem eamque militum manum successivè comparandam, ut tam Serenissimo *Electori Palatino* pro ultiore necessitate & requisitione petiti succursus, quam cum eodem omnibus correspondentibus & adjacentibus, potissimum *Suevico*, Circulis validior fiat conjunctio, & defensio: undè ad Dominum *Electorem Moguntinum*, Serenissimosque Principes *Hassia*, & *Fulda* &c. exarandum, atque ita juxta Cæsareæ Imperialis executionis ordinationis dispositionem instandum, ut, casu quo, ad superioris anni exemplum territoria hæc Rhœnana infestari contingeret, loca ea limitanea, & quibus vis hostium potior incumbere posset, sufficienti jam conscripto, & *Provinciali milite* ad defensionem instruantur, hostilesque ita impetus fortissimè generosâ conjunctione retundantur. In hunc quoque finem conclusum est, ut Circularium quisque Statuum præscriptum sibi *contingens* quoad bonum compleat militem, paratumque habeat, congruamque concurrentiæ paritatem servet, nec quicquam negligatur, quod tam ad omnes, quam singulos Circuli Principes, Statusque celeriter, & actualiter militari manu juvandos facere possit. Proindè speramus futurum, ut, sacra Cæsarea Majestas subsidium à Circuli hujus conventu oblatum, animo desuper benè contento clementissimè suscipere, *Promotorialibusq;* suis ad alios Imperii Circulos, Electores, & Status propositam cum utriusque Saxoniae Circulis, & ad Sacri Romani Imperii securitatem, pacatumque Statum tendentem mutuam conjunctionem, defensionem, promovere dignetur.

IV.

IV. Et quoniam in dicto Muhlhausiensi Conventu



super *præcedentiâ*, inter Franconiæ, & Inferioris Saxonix Circulos, & in eventum conjunctionis, de constituendis inter laudabiles octo Circulos *Consiliariis bellicis*, servandâque eorum *paritate* mentio facta est, quo ad illam, fore confidimus, ut laudabilis Saxonix Inferioris Circulus ex antiquis Imperii constitutionibus, recessibus, & actis consurgentes pro Franconico remonstrations, introductamque antiquitus consuetudinem acceptet: quo ad desideratam autem paritatem ( citrà tamen futurum præjudicium, & consequentiam ) conclusum est, ut durante hoc defensionis opere, cum Saxonix utriusque Circulis in omnibus conformitas exhibeatur, atque ita totius nomine causâque Circuli, præter Serenissimum Dominum Præsidentem, tres etiamnum Consilarii bellici deputentur, ablegenturque; casu vero quo Serenissimi Saxonix Elector respectivè ac Duces, Circulorum Domini Præsides extrâ officii sui vim, velut Circulares Status bellicos suos constituri forent Consiliarios, de eo tunc loquendum, & pari medio conveniendum, atque id solum ad promovendam mutuam assistentiam, citrà omne quatuor Scannorum, quo ad alia, eorum jurium, veterisque observantiæ præjudicium.

## V.

Quod si eam *copiarum conjunctionem*, & *operationem* in hoc Circulo fieri necesse foret, ( quod tamen Cœlum propitium avettat ) penes Serenissimum Circuli hujus Dominum Præsidentem, ejusque subordinatos, & adjunctos, præcedentiâ respectivè imperium, & directio in consilio æquè bellico, atque ipsâ expeditione, quovisque alio casu esto. Quæ omnia vicissim, si ejusmodi expeditiones in Saxonis fiant Circulis, penes eorundem Serenissimos Dominos Præsides, Subordinatos, & adjunctos, sunt. Atque ita justa inter conjunctos tres Circulos conformitas & æqualitas juxta executionis normam, Quedlinburgicumque recessum  
serva



servator. Quia etiam *viatici* Adjunctis, Consiliariisve bellicis suppeditandi mentio injecta, ut quando ex officio, & Circuli generalis causâ convocantur, aut mittuntur, necessarii sumptus, è cassa militari subministrantur, idemque, si à Statuum quopiam expositi, refundantur, vel ex debitis hostenditiis detrahantur, decutenturvè, decretum est.

VI.

Cùmque quæsitum super *quanto* boni Provincialis defensoris *militis*, præter conscriptum ad defendendas patriæ limites, omnemque invasionem hostilem propulsandam, per majora conclusum est, ut Statuum quilibet juxta Imperii matriculam de triplo è subditis colligendorum equitum, & peditum provideat sibi, eosque sic paratos habeat, ut si Domino Præsidi, uti & Subordinatis, Adjunctisque ita videatur præviâ universi Circuli, aut saltem, uti supra dictum Domini Directoris utriusque Principis convocatoris convocazione insurgere jubeantur, absque morâ, & cunctatione movere valeant; Quod ad *imperium* autem *militare*, necessariosque *belli apparatus*, juxta Imperialem executionem Quedlinburgicique, ac Muhlhausiensis recessuum normam ( quantum circuli Status & conditio patitur ) omnia constituentur : absente tamen Serenissimo Domino Præside, Imperiali executioni, & veteri Circuli observantiæ congruenter vivitor. *Sustentationem* verò subditorum patriæ copiarum quod attinet, unanimiter placuit, ut de eâ suas Statuum quilibet pro libitu ita provideat, quò quærelæ nullæ, aut defectus subrepant, quem in finem ii Status, in quorum territoriis aut confinibus patrium militem subsistere contigerit, victualia adduci, & pretio tolerabili venundari, cæteraque necessaria fieri, procuranto.

VII.

Cùm à Sublimiorum, aliorumque Statuum

D s

per-



personis querelæ variæ, difficultatesque relatæ, qualiter nequeant sine pleno *stipendio*, *equorumque pabulo* subsistere, assensum est iis, in eum planè modum, qui Anno 1664. tempore belli Turcici servatus, sive in hospitibus, sive in campo hæreatur, idque donec periculum imminens ab hoc Circulo aversum, aut aliud conclusum fuerit.

## VIII.

Cùm fama vulget, Cæsaris denuò copias aliquas per Imperium transituras, Excellentissimus Dominus Legatus ejusdem necessariò requirendus, ut sacræ Cæsareæ Majestati damnum ingens alterâ jam vice illatum humillimè repræsentare, ipsamque precari dignetur, quatenus ejusmodi copiarum *transitus* ab hoc circulo, qui absque eo ad sacræ Cæsareæ Majestati opitulandum extremas confert vires, alio avertatur, humillimè insuper nomine totius circuli necessariò remonstrandum Cæsareæ suæ Majestati, quod casu quo Principes circuli hujus, & Status simile rursus damnum subire habeant, plerique in ruinam incidant extremam, neque præstare valeant, quod ad hujus vicinorumque Circulorum defensionem, & liberationem, ex devotissimâ, & fidelissimâ ergà Cæsaream suam Majestatem, & sacrum Romanum Imperium devotione, obligationeque appromiserunt.

## IX.

Cùm porrò & pro officiis legionalibus, commissionibus, aliisque Circuli, & belli necessitatibus adimplendis nummi hætenus in menses Romanos descripti neutiquam sufficiant, per majora placitum, ac statutum est, ut præter nunc executivè exigendas restantias, cum priore lapsi Augusti, in novū alium Mensem Romanum *contributio* describatur, quatuor hebdomadam spatio absque compensatione, & exceptione ullâ



ullâ, nisi quod Domino *Comiti Erbacensi* illatæ claudis ergò remissum est, in circulare ærarium inferenda.

X.

Quamvis *Diæcesis Herbipolensis*, Imperialisque *civitas Schweinfurtensis* propter alimentacionem *Schneidavianæ*, *Zrinianæ*que legionum, ad Generalis *Turainii* diceffui in bonum laudabilis circuli invigilandum, relictarum diutius à suâ Excellentia Generalis locum tenentis *Montecuculi*; pariterque *Comitatus, Hohenloicus, Nevenstenicus, Castelicus, Werthemicus* aliisque, damni illati causâ pro condigno moderamine, & remissione taxæ debitè institerint, Legati tamen quia plerique desuper instructi non fuere, certi nihil desuper est conclusum, sed ad referendum acceptatum, in alium circuli Conventum dilatatum est.

Denique quia Excellentissimus Dominus sacræ Cæsaræ Majestatis Consiliarius, & Supremus *Bohemix* Cancellarius *Comes de Nostiz*, tanquam *Comitatus Rheineck* possessor, inter Circuli hujus Status adscribi, introduci ad sessionem ac votum non ita pridem debitè petiit, eumque in finem plenipotentia ejus *Joanni Philippo Gambero Franconici Comitum Collegii Syndico* delata, magnorum intuitu meritorum ejus & officiorum, recepto more antiquo, in locum & ordinem, quo Possessores hujus *Comitatus & Domini* olim gavisi fuere, introductus, interque *Constatus* adscitus, atque ut talis imposterum habendus, honorandus, respiciendus, ad omnesque conventus, quò præclaris suis consiliis, & assistentiâ laudabilis hujus circuli bonum promoveat, ordinatè est conscribendus.

Demum Serenissimus Dominus *Christianus Ernestus Marchio Brandenburgibus Culmbacensis* in defuncti Domini *Baronis à Weishen* Commendantis  
in



in Plassenburg locum, nomine Serenissimæ Domus Brandenburgicæ pro Circuli hujus Consiliario bellico, præsentari fecit per Illustrem, ac generosum Dominum Tribunum Wolffgangum ab Ereylsheim: sunt pariter pro Franconicæ Legionis pedestris Tribuno Joannes Godefridus Roth, ejusdemque Subtribuno Franciscus Nicolaus à Brassart, coram laudabili Conventu Circuli præpositi; & mox terni præsentati super officiis, & functionibus suis, pro Circuli hujus commodo, & salute solitum præstitere juramentum.

In quorum omnium robur, ac fidem hic Recessus à quadruplici Scamno sigillatus, atque à præsentibus Consiliariis, Legatisque subscriptus est, Norimbergæ 22. Jan. (1. Febr. 1674.)







S. R. MAIESTATIS SVE-  
*ciæ monitoriæ ad pacem primæ,*  
*Regi Galliæ scriptæ 1672.*  
*24. Maji Holmiæ.*

**N**OS CAROLUS Dei Gratiâ &c. Serenif-  
 fimo ac Potentissimo Principi, Fratri, Consan-  
 guineo, Amico, & Fœderato nostro charissi-  
 mo, Domino LUDOVICO XIV. &c. salu-  
 tem &c. Serenissime.

Si quid unquam triste ac luctuosum mœrore nos af-  
 ficit, id certè summopere nos affligat necesse est, quod  
 Orbis Christianus vixdum etiam sanatis vulneribus,  
 quæ nuperrimi motus inflixerant, inter pacis gaudia  
 jam lætus tandem ageret, novum inter Majestatem  
 Vestram & D. D. Ordines Generales Fœderati Belgiï  
 accendi bellum videamus. Quem casum vel ided in-  
 felicem omnino censemus, quod non unâ contentus  
 clade, plurimas miserandas longè lateque diffundere fa-  
 cile poterit; præsertim cum armorum, ut incendiorum  
 ea sit natura, ut vix primo subsistant loco, sed proxima  
 semper quævis, sæpissimè etiam longè remota concipe-  
 re soleant. Nec etiam sine dolore ad animum ea pen-  
 dere possumus, arma in mutuas cædes cum irreparabili  
 sanguinis Christiani jacturâ eos inter explicari, quorum  
 sociatis viribus rei Christianæ salus inniti posset; quo-  
 que insuper amicitia antiquæ ac fœderum nobiscum  
 jungunt nexus. Nos itaque ex animo vovemus & ex-  
 optamus, ut quæ instant belli funesti mala, cum æquâ

A

pace



pace commutari possint. ; priusquam eo progredian-  
 tur, ut remedia tandem si non penitus respuant, saltem  
 difficillimè admittant. Non autem hoc intra votum  
 continere se potest cura, quæ nobis omnibus Christia-  
 nis Regibus ac Principibus communis esse debet, sisten-  
 di amicabilibus mediis innoxii sanguinis profusionem;  
 quin nobis ea, ut de tollendis interventione nostra dif-  
 ficultatibus, quæ Majestatem Vestram inter & D. D.  
 Generales Ordines extant, cogitationem susciperemus,  
 non solum suavit, sed facili negotio persuasit. Nimirum  
 cum insignia admodum Majestatis vestræ non æquani-  
 mitatis minùs quàm bellicæ gloriæ decora ab Orbe ex-  
 tollantur, perspectumque sit Majestatem vestram arma  
 antehac semper gloriosè æqui deposuisse ac suscepisse;  
 non possumus quin confidamus Majestati vestræ nunc  
 quoque ingratham fore operam, quam ob omni affectu  
 liberam procurandæ honestæ paci obtulerimus. Quam  
 fiduciam nostram minimè frustraneam fore, quemad-  
 modum & mutuus inter nos sincerus affectus, & per-  
 spectus Majestatis vestræ amor publicæ tranquillitatis  
 promittit, ita Nostro apud Majestatem vestram Legato  
 Ordinario, Cubiculario nostro supremo, ac legionis  
 prætorianæ equestris Tribuno, Illustri nobis sincere  
 fideli Ottoni Wilhelmo Konigsmarck, &c. ut & Cubi-  
 culario nostro supremo, Illustri nobis sincerè fideli  
 Gustavo Adolpho de la Gardie &c. in mandatis dedi-  
 mus, ut nostro nomine Majestati vestræ amicam inter-  
 positionem & mediationem deferant. Nostrumque  
 præterea quamprimum operam nostram gratam & ac-  
 ceptam Majest V. cogoverimus, sine mora constitue-  
 mus Legatum Extraordinarium, pertractando & perfi-  
 ciendo pacificationis negotio, & dignitate, & animi  
 dotibus parem; nihilque officii intermitteremus, quod  
 ad verum pertinuerit Mediatorem, nostram ergà Ami-  
 cos nostros fidem, & pro publica incolumitate paratam  
 ac infessam curam ac sollicitudinem poterit compro-  
 bare. Quod superest, Majestatem vestram divinæ prote-  
 ctioni ad prospera quævis commendatam animitus cu-  
 pimur



*pro ineunda pace universali Anno 1672.*

3

mus. Dabantur in Arce nostra Holmensi die 24<sup>a</sup>  
Mensis Maij Anno 1672.

Nomine altissime memoratae Sac. Regiae Majestatis  
respectivè Filii nostri charissimi, & ut Regis ac Domi-  
ni nostri Clementissimi.

## HEDEVVIG ELEONORA

Petrus Brahe Comes in Wiflingsborg  
R. S. Drotzetus.

C. G. Wrangell R. S. Archistrategus.

Gustaph. Otto Stenbock R. S. Architalassus.

Magnus Gabriel de la Gardie  
R. S. Cancellarius.

Claudius Ralamb loco R. S.  
Thesaurarii.

H. Hoghusen. &c.

---

*S. R. Majestatis Sueciae pro pace prima, Regi  
Angliae scripta littera, 1672. 24. Maji.*

**N**OS CAROLUS Dei gratiâ, Suecorum &c. Sere-  
nissimo & Potentissimo Principi, Fratri, Consan-  
guineo, Amico & Fœderato nostro charissimo Domino  
Carolo ejus nominis secundo &c. salutem & prosperos  
rerum successus. Serenissime & Potentissime Princeps &c.

Quæ Christianorum Regum & Principum cura est  
publicæ incolumitatis, ut eâ illæsâ gaudio, afflictâ ve-  
rò, mœrore affici soleant, eas nos maximopere sollicitos

A 2

red-



reddidit , posteaquam inter Majestatem V. & D.D. Ordines Generales Fœderati Belgii accendi bellum vidimus, calamitatum, quas minatur atrocitate vel maxime luctuosum. Nam cum omne bellum incendi more, proximis ut plurimum quibusque correptis in longè diffusa serpit ; tum hoc ita omnino esse comparatum videtur, ut quadam quasi contagione pluribus concitatis Principalibus , totam Europam in dissidia agere possit. Nec etiam sine singulari doloris sensu animo nostro obversatur, eos infestis armis ad mutuas prope rare cædes, qui victores æquæ ac victi rem Christianam in magnum discrimen conjiciant necesse est ; Cum pretium nullum committi, nec ulla victoria reportari possit, quin irreparabilis virium fiat jactura, quibus integris ac junctis Orbis Christianus adversus Barbarorum verum execrantium Deum, vim & sanguinolentos conatus tuto inniti & possit & debeat. Hæc autem inter luctuosa occurrit nobis præclara Majestatis vestræ æquanimitas, & in pacem propensio, cujus inter insignia bellicæ Majestatis vestræ gloriæ decora illustris quoque splendor collucet. Enimverò ut ea armorum Majestatis vestræ successus etiam felicissimos solita est antehac semper comitari : ita & nunc confidere nos jubet, promissuram Majestatem vestram suis præsertim fœderatis in sistendo bello huic vix adhuc sanatis, nuperrimorum motuum vulneribus rursus exorto, amicam manum tempestivè dum modum nimirum ac remedium admittit, admoveant. Suscepimus itaque libenter cogitationem componendorum inter Majestatem vestram & D.D. Ordines Generales Fœderati Belgii enatorum dissidiorum, eumque in finem per Cubicularium nostrum Supremum, Illustrem nobis sincerè fidelem Gastavum Adolphum de la Gardie Comitem in Lecköo, & Arensburg. Lib Baronem in Eckholmen, Dominum in Hapsahl, Magnushoff, Helmet, Hoyentorp & Wenne-garn ; ut & nostrum apud Majestatem vestram Ablegatum Extraordinariū Nobilem nobis sincerè fidelem Joannem Leyonbero, Hæreditarium in Larlienda Equitem,



*pro ineunda pace universali Anno 1672. 5*

tem, interpositionem nostram Majestati vestræ offerendi. Quod ipsum etiam ut faceremus, facili nobis negotio tum mutuo nos inter & Majestatem vestram amicitiae sinceræ fœderumque nexus, tum nostra quoque persuasit intentio integerrima, & quæ præter unam publicam tranquillitatem incolumitatemque Fœderatorum nostrorum, aliud nihil respicit. Nos insuper simul ac operam nostram acceptam, & gratam cognoverimus, sinè morâ Legatum nostrum Extraordinarium constituemus, pertractando pacificationis, & amicæ compositionis negotio, & dignitate, & animi virtute parem; nihilque officii intermitteremus, quod ad verum pertinuerit Mediatorem, adeoque nostram ergà Amicos nostros infucatam fidem, pròque publica salute paratam ac indefessam curam ac sollicitudinem testatam reddere poterit. De reliquo Majestatem vestram Divinæ protectioni ad prospera quævis commendatam cupimus. Dabantur in Aice nostrâ Holmensi die 24. mensis Maji Anno 1672.

*Nomine altissimè memorata Sac. Regia Majestatis respectivè Filii nostri charissimi, ut & Regis & Domini nostri Clementissimi.*

HEDEVVIG ELEONORA R. S.

Petrus Brahe, Comes in Wiflingsborg R. S. Drotzetus.

C. G. Wrangell R. S.  
Archistrategus.

Gustaff Otto Stenbock R. S.  
Architalassus.

Magnus Gabriel de la Gardie  
R. S. Cancellarius.

Claudius Ralamb loco  
R. S. Thesaurarii.

H. Hoghusen.

A 5

Mons-



*Monitoria Posteriores pro pace, Regi Galliæ  
data die 17. Iulii An. 1672. Holmiæ.*

**N**OS CAROLUS &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi (tit. Regis Galliæ) salutem &c. Serenissime ac Potentissime Princeps &c.

Quemadmodum ex nunciis literisque ad Nos perlatis prosperos armorum Majestatis vestræ progressus percepimus : ita quæ nos inter & Majestatem vestram antiqua amicitia omnia, quæ M. V. feliciter vel secus accidunt, communia nobis reddere assolet ; jam quoque lætitiæ, quam ex armorum suorum successibus Majestas vestra sentit, partem sibi vindicat : præsertim cum spem certam foveamus, M. V. felicitatem, quæ arma ejus concomitatur, non aliter accepturam, ac oblatam quandam ex voto occasionem, qua Orbi comprobare & possit, & velit, quam sit inter victoriarum suarum vel maximos cursus pacis summopere amans, pronæque ad justam compositionem incundam, & prompta æquè ac bello fortis & insignis. Quod ipsum etiam, ut eò certius confidamus, facile nos inducit, celebris ac vero Principe digno ad publicam tranquillitatem tum restabiliendam simul ac fuerit juxta pax oblata, tum conservandam propensio, quam nobis Majestas vestra contestari voluit. Nos equidem ut pacis cognitio sine morâ, postquam innoxius sanguis jam multus, quod dolendum, effusus, interveniat, ex animo exoptamus : vovet id etiam totus Orbis Christianus. Et equidem meritò. Nobis enim in luctuoso hoc nostrorum amicorum sese inter conflictu nulla enasci potest ex secundis unius eorum præliis ac successibus lætitia, quam non adhærens alterius clades subito interrumpat, ideoque solidam non esse sinat. Res quoque Christiana in id jam videtur incidisse discrimen, ut à Porta Ottomannicâ incendia, vastitatem, & subversionem non absque ratione metuat

tuat



tuat. Nihil enim aliud magni apparatus, accitæque undique barbaræ, & quæ nihil nisi cruorem ac prædam cogitant, gentes indignant, quam belli molem brevi erupturam. Et certè quos spiritus Turcis immanitas ipsis innata, perpetuumque eorum Christiani nominis odium addit, illos omni absque dubio adauget occasio ipsi ita nunc obvia, ac Turcici jugi fines unica semper protulit: nimirum intestina Christianorum sese inter diffidiâ, ac bella, hoc etiam tempore eo infeliciora, quod qui mutuâ jam cæde se prosequuntur Christiani Reges & Status ii sint, quorum unitæ vires ac integræ firmiter ac unicè rem Christianam tueri queant. Nullum itaque gloriæ, quæ M. V. arma exornat, illustrius decus addi poterit, quam si Orbem Christianum anxium inter tot metus, interque tanta belli, quod jam flagrat, mala lugentem, læta pace exhilarare rursus M. V. voluerit. Nos etiam nulla officia amica, quæ eò pertinere potuerint, pro eâ, quæ nobis juxtâ ac omnibus Principibus Christianis cura tranquillitatis publicæ incumbit, intermitteremus: Nostrumque idcirco Legatum Extraordinarium, & nostrum regni nostri Senatorem, Campi Mareschallum, & Governatorem Generalem Livoniæ, Illustrem nobis sincerè fidelem Dominum Claudium Tott &c. intra paucos dies hinc ad M. V. ut & insimul nostros ad Serenissimum ac Potentissimum Regem Angliæ Legatos Extraordinarios, Generalem militiæ nostræ pedestris, & Governatorem in Elffborgs, Lækin & Dall, Illustrem nobis sincerè fidelem Petrum Sparre &c. ut & Consiliarium nostrum Cancellariæ, Generosum ac Nobilem nobis sincerè fidelem, Edvardum Ehrensteen &c. ablegabimus, qui etiam supradictus Dominus Comes, quantoperè confidamus, percelebri æquaminuitati, quâ antehac pacis consilia Majest. V. suscepit; pariterque qua constantia sincerè intentioni mutuam Nos inter amicitiam integerrimè excolendi inhæreamus, Majest. V. indicabit. Quam de cætero divinæ protectioni commendamus. Da-

A 4

ban-



8 *Littera & negotiationes S. R. Majest. Suecia*  
bantur in Arce nostra Holmensi die 17. Julii An-  
no 1672.

*Nomine altissimè memorata S. R. Majestatis &c.*

HEDEVVIG ELEONORA R.S.

Petrus Brahe &c.

Gustaff. Otto Stenbock  
&c.

C. G. Wrangell

Magnus de la Gardie.

C. Ralamb.

*H. Hoghusen.*

---

*Monitoriae posteriores pro pace Regi Angliæ*  
*scripta. 1672. 17. Julii Holmiæ.*

**N**OS CAROLUS &c. Serenissimo & Potentis-  
simo &c. Domino Carolo ejus nominis secun-  
do &c. salutem &c. Serenissime &c. Cùm amicitia,  
quæ nobis cum Majestate vestra jam inde à longo tem-  
pore intercedit, non possit, quin felicibus Majestatis V.  
successibus semper applaudat; tum quæ ad Nos de ar-  
morum Majestatis Vestræ progressibus sunt perlata,  
grata nobis reddit. Exoptamus equidem ut lætitia,  
ad quam mutua illa amicitia Nos invitat, solida esse pos-  
set, nec ita esset comparata, ut interrumpetur, ad ani-  
mum expendentibus Nobis inter arma Amicorum no-  
strorum nullum esse successum armorum unius, qui  
non



non alterius cladi superstruatur. At spem indubiam fovemus, Majest. V. ut semper non minus magnanima in deponendis armis fuit, ac bello fortis; ita etiam nū ad æquam ac justam pacem pronam ac promptam fore, adeoque tranquillitatis publicæ restabilendæ consilia lubenter admissuram. Quod ipsum ut eò certius confidamus, facilè nobis persuadent ea, quæ nobis de percelebri suo ac verè Regio pacis studio contestari voluit; nulli quoque dubitamus, quin Majest. V. ad periculum respicere velit, quod rei Evangelicæ imminet, subrutis ac dilaceratis nimirum mutuis cædibus iis viribus, quibus integris, salva etiam illa ac tuta esse possit. Quod ipsum dum speramus, ex animo etiam in simul vovemus, & quidem communi Nobiscum totius Orbis cum voto. Nec enim obscurum est discrimen, quod Christiano Orbi porta Ottomannica molitur; cum tanti apparatus totque evocatae barbaræ gentes id perspicuè satis edoceant; aut dubia fiducia, quæ Turcarum Imperatori quivis successus promittit, mutuo jam cruore mandentibus iis, quorum sociata consilia ac arma terrori ipsi forent. Illustre itaque & à posteris decantandum decus gloriæ Majestatis Vestræ armorum accedet, si læta ac prompta pace incolumitati Evangelicorum, saluti tot periclitantium innocentium hominum, Orbi deniq; Christiano inter tam magnos metus anxio consulere voluerit. Nos quemadmodum omnia officia reducendæ paci convenientia lubenter admovemus, ita non solum nostram mediationem Majest. Vestræ offerendam jam antehac censuimus; sed & ne ulla intercedat mora publicæ quieti restaurandæ, Nostros Legatos Extraordinarios, Generalem militiæ nostræ Pedestris, & Governatorem in Elffsborgs, Lahn & Daal, Illustrem Nobis sincerè fidelem Petrum Sparre & c. ut & Consiliarium Nostrum Cancellariæ, Generosum ac Nobilem Nobis sincerè fidelem Edvardum Ehrensteen, ut & in simul ad Serenissimum & Potentissimum Regem Christianissimum Nostrum Legatum Extraordinarium, Nostrum Regni que nostri Senatorem, Campi-Marschallum,



Schallum, & Governatorem Generalem Livoniæ, Illustrem Nobis sincerè fidelem, Dominum Claudium Tott &c. paucos intra dies amandabimus, qui Legati nostri, qua certitudine Nobis promittamus, non fore interventionem nostram M. V. ingratham, ob affectum ergà Nos M. V. integrum ac sincerum, nec ab æquâ pace Majestati Vestræ alienam exponent. Nos interea Majestatem Vestram Deo optimo Max. commendamus. Dedimus in Arce nostrâ Holmensi die 17. mensis Julii 1672.

*Nomine &c.*

HEDEVVIG ELEONORA.

P. Brahe.

C. G. Wrangel.

G. O. Stenbock.

M. G. de la Gardie.

Cladius Kalamb.

H. Hoghusen.

*Responsio Regis Angliæ ad Regem Sueciæ  
3. die Septembr. 1672. VVitehal.*

CAROLUS Dei Gratiâ, Magnæ Britaniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor. &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi Domino CAROLO, eâdem gratiâ, Suecorum, Gottorum, Vandalorumque  
Regi



Regi & Principi Hæreditario, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Caretiæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandalia, Principi Rugiæ, Domino Ingridiæ & Vismariæ, nec non Comiti Palatino Rheni, Baviariæ Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Fratri Consanguineo, Amico & Fœderato nostro Charissimo; salutem & prosperos rerum successus. Serenissime ac Potentissime Princeps, Frater, Consanguinee, Amice & Fœderate Charissime. Nihil unquam Nobis antiquius esse potest aut acceptius, quam quod proponitur adhortatione Majestatis Vestræ, & quod ipsius exemplo approbatur. Cujusmodi meritò censemus esse pacifica & Christiano Principe verè digna consilia, quæ Majest. V. per unas ipsius literas 24. die Maji novissimo præteriti scriptas Nobis perquam amicè patefecit, & quæ per alteras 17. die Julii datas rursus ingeminavit, in utrisque autem se tranquillitati Europæ restituendæ tuendæque, animo & opera mirificè studere demonstravit; Nec se fefellit, cum Nos quoque iisdem affectibus tangi & impelli existimet. Priores attulit Illustris Gustavus Adolphus de la Gardie Comes in Lecköo & Arensburg &c. easdemque conjunctim cum nobili Equite Joanne Leyonberg Majest. Vest. apud Nos Ablegato Extraordinario nobis exhibuit. Posteriores etiam eodem spiritu afflatæ, Legatos Extraordinarios excellentis ingenii judicique consummati viros à Majest. V. Nobis & Regi Christianissimo brevi mittendos pollicentur. Nos quod attinet, præterquam quod natura nobis indolem pacis & æquitatis amantis inserit, eò etiam majori nixu ejusmodi studia prosequimur, dum vetera & recentia, quæ Nobis cum Majestate Vestra intercedunt fœdera, intuemur, quæq; vel levissimè violare summum nefas est, crederemus. Et licet aliorum fortasse Principum litteræ, quorum amicitia Nobis non adeo perspecta est, minùs apud Nos ponderis habituræ essent, Vestræ tamen Majestatis interpositio ideo plus valere debet, quia belli, quod adversus Fœderati Belgii tyrannos gerimus, rationes novit &

appro-



approbavit, nec non pacta nobiscum, & cum Rege Christianissimo eâ de re nuper iniit : Quem igitur sicut oportet ut utriusque Nostrum Fratrem & Fœderatum de materia hujus legationis consulamus, nulli dubitantes, quin ille quoque perinde ac Nos postulata sit accepturus. De cætero prædictum Dominum Gustavum Adolphum de la Gardie ad magna quævis & præclara naturæ aptumque, non possumus sine summa laude demittere, alterum verò Joannem Leyonberg Majestatis V. apud Nos Ablegatum Extraordinarium jam longo usu necessitudinis inter Nos & Majestatem Vestram conservandæ studiosissimum experti sumus. Quando autem insignes illi viri, quos Majestras Vestra extra ordinem ad Nos legatura est huc advenerint, Nos ad ea propensissimos invenient, quæ & publicæ paci & Majestatis Vestræ voluntati maxime congruere videbuntur. Interea Deum Opt. Max. precamur, ut Majestatem V. omni felicitatis incremento cumulatissimè adaugere velit. Dabantur in Palatio nostro de Wïthall 3. die Sept. bris 1672.

*Majest. Vestra*

*Bonus Frater, Consanguineus & Fœderatus*

**CAROLUS REX.**

*Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ Legatorum,  
in audientia solennè habita Propositio coram  
Regiæ Magnæ Britannia Majestate  
Londini 1672.*

*Serenissime & Potentissime Rex ac Domine,*

**S**ingularis ille arctiorque solidioris amicitiaæ nexus, qui Sacræ Regiæ Majest. Sueciæ, Domino Nostro Clementissimo, cum sacra Regiæ Majest. V. intercedit, mutua-



mutuaque respectivè Regna eorumque incolas & subditos intimioribus connectit vinculis, illa jam cæpit incrementa, illosque auctus, & nihil neque adversi, neque asperi Majestati Vestræ evenire possit, cujus altissimè memorata Regia Majestas Sueciæ non magnam sibi quoque exindè vindicet partem.

Hic ipse animorum Regionum concors nexus, fœderumque mutuorum vinculum hoc imprimis tempore Majestatem suam commovit, ut Nos Majestatis suæ Legatos Extraordinarios ad Majestatem Vestram decerneret, adjuncto mandato, ut impertitâ primùm plurimâ salute, eximium suum in Majest. V. animum & affectum perpensissimū testificaremur; imprimis verò ut ejusdem Maj. nomine Majest. V. firmam ejus valetudinem, & status sui rerumque secundarum perpetua emolumenta ex animo gratularemur, atque insigne ejus gaudium ob armorum successum pariter ostenderemus, optantes porrò Majestati Vestræ prosperum sibi regnisque suis incrementum, præprimis verò belli hujus felicem omnino exitum.

Nam quemadmodum sacra Regia Majestas Sueciæ Rex & Dominus noster Clementissimus non absque interiori doloris sensu percepit acerbum illud belli certamen, quod suos inter utrimque Amicos & Fœderatos utpotè Majestatem Vestram & Regem Christianissimum ab unâ, & Ordines Fœderatos uniti Belgii ab altera parte exortum est, non sine madidis sanguine armis reciprocarî, ita Majestas Vestra mirari non potest, si contingat ut sacra Regia Majestas Sueciæ suspicetur incendium tale, quod terrâ marique in flammam internam erupit, ac etiamnum vehementer flagrat, nec non undntaxat alterive parti belligeranti magno damno tandem fore, sed etiam ulterius longe lateque diffusum & ad alias facilè Europæ partes trajectum, plures quoque Majestatis vestræ vicinos & Fœderatos corripiat, non sine maximo Religionis Evangelicæ, totiusq; rei communis & Christianæ detrimento.

Quapropter cum sacra Regiæ Majestati Sueciæ, Re-

gi ac



giac Domino nostro Clementissimo , nihil vel antiquius, vel cordi magis sit, quam ut tantum incendium in herbâ quantocius sistatur & sopiatur, eadem Regia Majestas freta singulari in Majestatem Vestram confidentiâ & Majestatis Vestrae Regia æquanimitate, arbitretur futurum, ut Majestas vestra bellum justâ haud dubiè gravique de causa susceptum, gloriosisque hæcenus armis gestum, cum conspicuâ suâ gloriâ & emolumento ope divinâ terminare possit, adeoque Majestas vestra, restitutâ rursus æquâ & honesta pace, exinde potius, quàm ab incertis rerum eventibus optimum causæ suæ judicium gratissimumque orbis applausum mereri & exspectare cupiat, proinde S. R. Maj. Sueciæ non modò antehac ergà Majestis Vestrae Ministros & Legatos, literis quoque ad Majestatem Vestram missis, propositum suum, piûmque desiderium exhibere voluit, sed Nobis etiam suis ad Majestatem Vestram Legatis Extraordinariis in mandatis dedit, ut in conspectum Majest. V. progressi, ejusdem fidem sinceram & assiduam mediationem pacisque restaurandæ studia offerremus, quemadmodum virtute istius mandati altissimè memoratæ ejusdem Regiæ Majestatis nomine, eadem omni decenti modo Regiæque propensionis prolixâ testificatione, jam offerimus & exhibemus.

Et sicuti ad hoc munus litteris fidei, & procuratoriis necessariis satis sufficienterque muniti accedimus, ita in eam facilè spem inducimur, ut Majestas Vestra ex officio regii muneris pacis studia meritò suadentis recepta, quodq; fidimus cordata hac mediationis oblatione, locoq; tractatus decreto, suos pariter constituere velit Legatos Plenipotentiarios, mandatis promovendæ facilè paci instructos, qui diligentiam & opera nostra usuri, negotium aggrediantur, operique ipsimet promptas mox admoveant manus.

Nos operam indefessam, eaque officia & studia pollicemur, quæ reducendæ publicæ tranquillitati opportuna censuimus, quæq; Majestas Vestra à Nobis Majest. Vest. conjunctissimi Regis Legatis expectere

tere



tere & exspectare poterit, eoque nomine nosmetipfos, quæq; nobis in commissis data sunt, Majestatis Vestræ Regio favori impensè commendamus, à Majestatis V. benevolâ & in pacem constanti propensione maturam, publicæque gratam declarationem omni observantiæ cultu operientes.

P. Sparre.

Ed. Ehrensteen.

---

*Memoriale presentatum Regi Magnæ Britannia, à D.D. Legatis Mediatoribus Suecia.*

*Serenissime & Potentissime Rex, ac Domine.*

**S**Imul ac S.R. Majestas Sueciæ, Rex & Dominus noster clementissimus, discrimina ex bello inter suos utrinque Fœderatos, Majestatem scilicet Vestram, Regemque Christianissimum ab unâ, & Generales Ordines Fœderati Belgii ab alterâ parte suborto, sibi ad animum revocavit, nihil habuit antiquius aut prius, quàm ut primo quoque tempore nos suæ Majestatis ad partes belligerantes mitteret Legatos Extraordinarios, qui paci rursus reducendæ bonâ fide, omnique studio opereremur: Profecti quidem in tempore, sed prolixo & adverso satis usi itinere, seriùs nonnihil quam destinavimus, ad hanc Majestatis Vestræ pervenimus aulam. Lætatur autem ibidem deprehendi imprimis apud Majestatem Vestram haud obscuram tranquillitati restituendæ propensionem, quæ penès Christianum Orbem in hoc florenti suo statu, rerumque bellicarum integritate, magnam omninò meretur æquaminutatis suæ commendationem, ita ut speremus tarditatem profectionis nostræ



nostræ, quam necessitas imposuit, fœliciori aliquo operis successu posse compensari. Noluimus autem deesse partibus nostris, nec quantum in nobis esset admittere, ut tempus frustra præteriret. Quandoquidem, expedito hic fœliciter negotio tractatus præliminari, ad Ordines Generales Uniti Belgii ire pariter jussi sumus. Itaque confidimus Majestatem Vestram non ægrè laturam, si ab eadem, eo quo par est observantiæ cultu, contendimus, ut super momenta sequentia in gratuiti condignam resolutionem suam edere, nosque ad reliquos labores à se dimittere insuper non habeat. Et primum quidem id obtestamur, ut pro illâ, quam in generalibus quidem terminis, sed magno, & generoso animo nobis declarare sustinuit, singulari in pacis tractatum propensione, nos pariter in conceptâ jam spe, & opinione confirmare, deque Regiæ Majestatis Sueciæ, & Domini nostri Clementissimi fideliter oblata Mediatione amplectenda certiores facere velit; quò fœliciori auspicio, animoque lætiori, negotium nobis commissum sine cunctatione aggrediamur. Majestati Vestræ persuasum enixè cupimus, nihil in eo laboris genere à nobis desiderari passuros, quod ad tam salutare opus promovendum pertinere posse judicaverimus. Deindè, quemadmodum non contingit, ut de momento proximè superiori quidquam dubitemus, ita Majestatem Vestram quoque rogatam volumus, ut talem dignetur nominare & designare locum, qui partibus paciscentibus sit pariter commodus & securus, adeoque qui Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii justam aliquam excipiendi causam non præbeat, atque eodem constituto, gratoque habito, suos quantocius destinare Legatos Plenipotentiariorum, quò Legatis Mediatoribus fiat occasio debito modo, locoque hortandi, & insistendi, & reliquæ partes suos quoque Legatos eò transferre sustineant.

Denique cum cessatio armorum amicitia redintegranda quasi quidam salutaris pacis apparatus præliminaris sit, iraque & odii mitigandi pondus soleat habere

bere



bere maximum ; actus verò bellici hinc indè prosperi vel adversi, animorum habitum subindè immutare fuerint, apud Majestatem Vestram, nomine S. R. Majest. Sueciæ, Regis ac Domini nostri clementissimi, tentandum, experiendūq; censuimus, ut durante tractatū negotio, ad aliquam armorum suspensionem res reduci queat, quò intereà de plenâ pace constituendâ tantò securius, amicabiliusq; & lætius agatur: spe bonâ fisci, reliquas partes belligerantes eò adduci posse, suam quoq; conferant curam, ut mari non minus, quam terra id fieri queât; eum maximè in finem, ut ex partibus partium belligerantium armis, iisq; ad aliquem induciarum modum adstrictis, intereà cesset sanguinis effusio, paulatimque amicitiae usus denuò revocetur, adeoq; provideatur, ne aliarum nationum arma intercedant, tractatusq; negotium gravioribus involvatur difficultatibus.

Quæ momenta pacificationis negotio complanando, & promovendo, ut confidimus opportuna, sacræ Regiæ Majestati Vestræ exhibenda existimavimus, ut & inclinatio Regis, & Domini nostri clementissimi, & studium exindè appareret nostrum; Nulli dubitantes, quin Majestas Vestra responso nos benevolo, talique beare sustineat, quo propositum sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ, Regis & Domini nostri Clementissimi apud cæteras partes ulterius urgeamus, prosperumque & celeriore polliceamur eventum, præstolemurque. Ultimo nos & commissionem nostram favori sacræ Regiæ Majest. V. impensè commendamus *Londini 1672.*

*S. R. Majestatis Vestra*

*Humillimi, & omni observantia  
cultu addictissimi*

*P. Sparre, Ed. Ehrensteen.*

---

*Responsio Regis Angliæ ad memoriale Legatorum Suecicorum, Wittehall 20. Novemb. 1672.*

**S**erenissimus, ac Potentissimus Rex Magnæ Britanniæ  
Dominus meus Clementissimus accepto, & perlecto  
B memo-



memoriali, quod Excellentissimi Domini Legati Extraordinarii, Serenissimi; ac Potentissimi, Sueciæ Regis ipsi nuper exhibuerunt, tum sibi gratulatur, quod talem Confœderatum habeat, qui iisdem cum ipso consiliis pacificis ac generosis imbutus sit, tum Serenissimo quoque Confœderato suo, quod tales Ministros elegerit, miseritque, qui tanto operi pares, & Regis sui mandatis, & publicæ tranquillitati tam prudenter, & sedulo inservire noverint.

Ad singula autem memorialis illius capita, hoc responsum breve, candidumque reddi iussit.

Primò igitur sacra Regia Majestas, ut mediationem, quam Serenissimus Sueciæ Rex pacis componendæ ergò obtulit, se amplecti velle antea declaraverat, ita jam denuò eandem animi dispositionem repetit, confirmatque, quo prædicti Excellentissimi Domini Legati Extraordinarii ad negotium ipsis impositum se alacrius accingant. Deinde Regia sua Majestas de loco qui huic tractatui pacis instituendo maximè idoneus videatur seriò cogitans, nullum Dunquerqueà commodiorem fore judicat, & quo partes tum belligerantes, tum mediantes, Deputatos ac Plenipotentiarios suos faciliùs aut expeditius mittere possint; de quo simul ac conventum fuerit, sacra Regia Majestas suos eò legare non morabitur, ejusmodi mandatis instructos, ut omnibus constet, se neutiquam impedimento fore, quo minùs æqua & honesta pax ex optato consequatur. Denique, quod armorum suspensionem spectat, ne pacis intereà negotium perturbent, animosve exasperent, sacra Regia Majestas se facile consensuram spondet. Quam æquanimi-  
tatem suam, & ad pacis studia propensionem sibi ingentam, ut huic pio & salutari proposito, aliquousque profuturam esse sperat, ita Serenissimo Sueciæ Regi charissimo Confœderato, & Excellentissimis Dominis Legatis suis Extraordinariis maximè probatum confidit. Datum in aulâ Regiâ 20. die Novemb. 1672.

*Ad mandatum Sacræ Regiæ Majestatis.*

Henricus Coventrii.

*Puncta*



**Puncta Regis Christianissimi Legatorum Plenipotentiariorum, tractanda cum D.D. Ordinum Generalium uniti Belgii Legatis Plenipotentariis, notificata per S.R. Majestatis Suecia, ad tractatum pacis D.D. Legatos Extraordinarios, & Mediatores, Colo. 2. (12.) Julii 1673.**

*Domini,*

**A**D hoc quod Vestrae Excellentiae desiderarint informari de omnibus punctis, super quibus tractandum erit cum Dominis Franciae Legatis, necessarium judicavimus ipsis notificare, nos credere, ipsos instituros, *primò*, satisfactioni, de qua nos Vestris Excellentis explicuimus, *secundò*, refusioni in pecuniâ pro belli sumptibus. *Tertiò*, puncto in terminis generalibus commercii libertatem respicienti, & Commissariorum nominationi ad conveniendum de regulatione particulariori commerciorum, *quartò*, restitutioni bonorum Malthæ. Punctum est adhuc unum, cujus mentionem facere nolimus, exercitium Religionis Catholicæ Romanæ respiciens, cui nihilominus Franciam instituram credimus. Hæc sunt, Domini, præcipua puncta, quibus additis persuasi sumus haud fore difficile credere, cum cæteræ sint ejus naturæ, ut causare minimè poterunt rupturam tractatus, à quo potioris partis Christianitatis tranquillitas dependet. Sumus sincerissimè

*Domini.*

Coloniæ 2. (12.) Julii 1672.

*Domini,*

**A**D hoc quod Vestrae Excellentiae desiderarint de omnibus punctis informari, super quibus tractandum erit cum Dominis Plenipotentariis Coloniensibus, & Monasteriensibus, non potuissimus quin testaremur in eo promptitudinem nostram contribuendi in omnibus iis, quæ à nobis dependent, in eorum satisfactionem. Verùm dictis Plenipotentariis modo ab hac urbe absentibus, rogamus Vestras Excellentias instatissimè, quatenus tam periculosum tempus non negli-



gant eos expectando, seseque primò negotiationi cum amborum Regum Legatis applicent, operam nostram ad accommodationem cum dictis Plenipotentia-riis offerimus cum omni zelo possibili, & multâ spe boni successus, sumus sincerissimè.

*Domini.*

Coloniæ 2. ( 12. ) Julii 1673.

C. Tott. P. Sparre. Ed. Ehrensteen

*Responsum D. D. Ordinum Generalium uniti Belgii super punctis superioribus D. D. Legatorum Extraordinariorum Sac. Reg. Majestatis Sueciae, Datum Colonia 15. Augusti 1673.*

*Domini,*

**A**Ntequam de ipsa pacis materia disceptemus, ad litteras, quibus secunda Julii vestrae nos Excellentiae honorârunt, respondemus ad eas capitum rationes, quas Christianissimus Rex prætere, sibiq; vindicare posset, quò facilius hujus belli difficultates & obstacula evitare queat, è re duximus esse necessitateque, vestras Excellentias de prætextuum, & rationum nullitate informari, in quibus hostes nostri adversus Provinciarum unitarum Status belli offensivi foedus fundârunt, quos successivè terrâ mariq; omnibus, quibus pollebant viribus, totq; nostris Provinciis, & ditionibus cum lætibus & deplorandis successibus invaserunt, devastârunt.

Quodsi vestrae Excellentiae desuper à Rege Christianissimo 7. April. anni 1672. Lutetia Parisiorum decretum & publicatum classicum, attentius perpendere non dedignentur, nullam particularitatem citatam, nullam tractatum contraventionem, nullas damnorum, injuriarumve suæ Majestati, aut Regni subditis illatarum querimonias reperient, sed solùm denuntiationẽ generalibus terminis expressam, quod videlicet iniqua cum sua Maj. D. D. Statuum Generalium agendi ratio eò pervenerit, ut displicentiam suam hinc enatam, sine ulla circumstantiâ, aut probabilitate, præterquam arbitrio, & voluntate vestitam, minimè obtegere, vel dissimulare voluerit.

*Tene-*



Tenemur itaque D.D. nostrorum, & Superiorum nomine dicere, quod illi ipsi conventionem, aut tractatum 27. Aprilis 1672. cum sua Christianissima Majest. ininitum, inviolatum servârint, ejusq; articulis nullo modo, nec unquam contravenint, quamvis ex parte Franciæ potior commercii pars subinde elusa, & aperte ad æqualitatis rupturam in bonum, & commodum subditorum, & incolarum stipulatæ, utrimque per privilegia, emolumenta, & prærogativas novis societatibus indictas (directè contra dicti tractatus 20. articulum) processum sit.

Et quoad subsidia defensiva, ad quæ sua Majestas vigore dicti tractatus erga D.D. Status Generales, subsequenter ad bellum, quo eos magnæ Britanniæ Rex persequabatur, se astrinxerat, ea partim denegando, partim subtrahendo, langvore non exiguo oppressi sunt.

Quodque non obstantibus dictis contraventionibus & defectibus, D.D. Status Generales in tanti Regis respectum, ejusdem confœderationem neutiquam vacillare, sed firmiter præstare voluerint. Et quamvis ex parte suæ Majestatis, nullæ de sumptuum profusione, aut excessu, aut pacti contraventione, in medium prolatae sint querelæ, ita, ut salvâ conscientiam, suæ Majestatis Oratorem, Hagæ Comitum Residentem sibi vel unicum ejusmodi negotii memoriale nunquam proposuisse, nec quicquam eorum Legatis ad suam Majestatem, unquam nominatim retulisse declarare queant; attamen de sinistra quam sua Majestas in eorum Status perceperat, impressione luculentius informati, ejusq; offensionis affectus omnibus modis præventuri, hac super re 10. Decembris anni 1671. ad suam Majestatem litteras mittere, & bonâ fide protestari decreverunt, quod scrupulosius perscrutati, num quicquam reperiat, quod suam Majestatem ad benevolentiam in aversionem, & odium commutandum impelleret, nullum in se peccatum, nullam item Majestatis suæ animo justam per se impressam suspicionem deprehenderint, pollitici si quid non observatum, aut contraventum per inadvertentiam, resarcire.

Placuit



Placuit suæ Majestati terminis generalibus respondere, Dominorumq; Statuum Legato offensum animum patefacere, & omni progressu ad satisfactionem oblatam denegato, Provinciarum Unitatum Statum impetere, opprimere, earumque non exiguam partem ( ut Vestris Excellentis ex præsentis rerum statu satis notum ) infestare, & penitus evertere. *quæ omnia supradicti tractatus articulo 12. refragantur*, asserenti: quod si inadvertenter, vel quocunque alio modo dicto tractatui contra eatur, suo nihilominus in vigore, quo prius is constans permanebit, nec ideo ad confœderationis, amicitia, bonæq; intelligentiæ rupturam, & infractionem procedetur, dummodò promptè contraventionum defectus reparentur.

Audemus itaque Vestrarum Excellentiarum iudicio has verissimas positiones submittere, visuræ, utrum justitia belli simplicis super nutu, irregulari beneplacito, & juxta proprias vires, citrà omnes alias rationes, præterquam imbecillitatis, & impotentia ejus, cui ruinæ & everfiones, parantur, fundari & existere valeat? an non & omnium Europæ Potestatum plurimum intersit, vires conjungere, & suæ suorumque Statuum, & totius Christianitatis tranquillitati, adeo perniciofa molimina quantocius avertere.

Quod si hisce de rebus causæ evidentia à nobis, uti minimè dubitandum, stare videatur, est cur ab æquissima, & justissima vestrarum Excellentiarum agendi ratione, speremus fore, ut apud Regem, Dominum suum & Magistrum eum favorem assequi valeamus, quo D.D. Status Generales, ab hoc, quo gravantur belli onere, minore cū detrimento, & quam citissimè eruantur.

Vestras Excellentias minimè latere potest, eis jure optimo, & incontestabili ratione sumptuum refusionem, damnorumque & detrimentorum, quibus eorum Status & populi, bello velut joco indicto sævientè obruebantur, reparationem repetere licitum esse: quorum summa ad plures milliones accedit, quàm explicari aut dinumerari queat.

Attamea



At tamen quò ex negotio adeo difficili, & intricato sese recipiant, libentissime paci & tranquillitati publicæ tanta detrimenta, tantamq; adeo sibi sensibilem rerum jacturam sacrificabunt.

Porro ad manifesta argumenta producendis omnibus punctis, quæ Vestræ Excellentiæ in suprâ memoratis litteris nobis proposuere, distinctè respondendum: imprimis nostrorum Dominorum, & Superiorum nomine petimus, ut Christianissimus Rex disponatur, quo quamprimum civitatis propugnacula, fortalitia, simul & totam patriam, quam vi armorum occupavit, & stante hoc bello firmavit, aut in futurum usq; ad pacis publicationem, invadere, occupareve posset, cedat.

Ut inde copias & præidia removeat, effectivè, re ipsâ, & æquâ fide sine ulla exceptione restituat, omnia prout de præsentibus habent, tam respectu dictarum civitatum, fortalitorum, ipsiusq; patriæ, quàm fortificationum, munitionum, rei; bellicæ, & aliarum qualiumcunq; provisionum, ad magis particularem elapsi temporis ad præsens discussionem evitandum, quod non modicæ difficultatis foret.

Ut omnes dictorum locorum Dominos, populos, & incolas pristino statui tam quo ad suas personas & dominia, immunitates, domus, & possessiones, sine ulla exceptione, aut distinctione personarum, locorum, quibus ante funesti hujus belli tempora fruebantur, & quibus eodem æstuante, orbatifunt, restituat.

Aliundè Christianissimo Regi è Civitatibus Oisoia, VVesalia, Burichio, Rees, & Embrica, pacto cum Domino Brandenburgico Electore inito, Batavis bello ereptis, maximum lucrum acceperit, qui non solum jus ibi præsidii, verùm etiam maximas prætensiones habebant. ideoque harum civitatum, Statibus suis finitimarum, jacturam quam maximè sentiunt, nihilo tamen minus, Status Generales pacis amore consentient, ut singulæ dictæ Civitates penes altè memoratum Dominum Electorem permaneat, ità, ut fortalitium *Schenckrhenanum* primùm in eorum Ditionem recipiendum & permansurum sit.

Civitatem insuper Trajectensem, Comitatum Vroonhoff cum dependentiis, juribus, & prætensionibus ad Comitatus & Ditiones trans Mosanas Faulquemont, Dalhem, Radam-Ducis cum villis, fructibus, & cõmodis dictâ à civitate depēdentib. cedent.

Necnon civitates Grollas, Breyordiam, Lochemum, Deuthecum, Scherembergham Liechtenvordam, & totum districtum Comitatus Zutphaniensis, exceptâ ad Isalam milliari distantia, quiterminus, sicut & civitates Zevenaria, & Limerfa à parte fortaliti Sckenckiani Doesburgum versus in hac cessione nullo modo comprehendentur, sed civitatibus Doësburg, & Zutphania sub D. D. Statuum jurisdictione adjungentur.

Demum



Demum Hulstam, omnibusq; quæ de ejus jurisdictione, & immunitate esse reperientur, sicut & Moërspurg Moërschantz, Zantbergh præterea Ferdinandi Miseria, S. Annæ, & Nassavii fortalitia, una cum fossa Castrensi, & receptacula, quæ intermedia reperiuntur inter aquæ ductum ( vulgò Hellegat ) & dictam civitatem sita, aggeri Stoppelgetzpolder confinia: hæc tamen conditione ut omnes dictæ Civitates in potestatem Regis Hispaniarum reponantur, & ab eo solo possideantur: utq; Rex Christianissimus in æquivalens in Belgii Regionibus in Artesia, vel alibi cum sua Majestate Catholica convenire teneatur.

Deindè ut sua Maj. Christianissima omnia loca, fortalitia, pagos, villas deniq; quomodolibet nuncupata, quæ hoc bello durante invasit, cepit, aut occupavit, sine ulla habitatione domini, superioritatis, jurisdictionis, aliorumve jurium in illas, sive justè, politicè, aut religiosè, generatim, & absolute restituat, eo in statu, quo ante hujus belli exordium existere & inventi fuere.

Atq; ut sua Maj. Christianiss. omnibus prætensionib. sive belli sùptus, & expensas concernentibus, vel quibuscumq; aliis renūciat.

D. D. Status Generales super propositione à vestris Excellentiss. ipsis factâ circa regulas commercii in magis idoneum tempus transferenda convenient, utque præsens tractatus generale caput, aut articulum de libera navigatione, & reciproco commercio juxtà jura, & leges utriusq; Domini complectatur.

Hac tamen pacto, ut hæc amicabiliter, & sine ulla contentione fiat, ne casu quo de ea conveniri non posset, ad arma recurrere liceat, utq; sufficienti guarantia adversus omnia incommoda, inde facile orituris nominatim provideatur.

Quoad negotia Ordinis Melitensis, D. D. Status Generales promittunt se in respectum Christianissimæ Maj., & ad ejus intercessionem unum cum magno hujus Ordinis Magistro de prætensionibus residuis, quas adversus Provincias Confœderatas habere posset, conventuros. Secus verò illi justitiæ tramitem, prout aliquando petiit, permissuros, seq; quò promptius, & meliore fide id exequatur, diligentissime advigilatuos.

Cumq; nos omnibus, quæ vestræ Excellentiss. notis proposuere, sat superq; fecisse, nosque affatim juxtà nostrorum Superiorum, & Magistrorum mandatum, ad ea, quæ vestrarum Excellentiarum litterarum pars videntur potior, sine ulla exceptione explicuisse, & declarasse arbitramur, ab earundem justitia, & æqualitate inviolabili, sapientia non vulgari, & laudabili in omnibus agendi ratione expectamus, speramusq; fore, ut ex hujus intricacione negotii eripiamur, & consequenter actutum tamdiu pax desiderata reducatur, stabiliatur, confirmetur.

Sin minùs, de Superiorum nostrorum candore & sinceritate protestamur, minimeq; ad ea, quæ suprâ oblata, teneri aut quoquo modo obligari volumus. Datū Colonia 15. August. a. 1673.

*D. D. Vestrarum Excell. humill. & ad obsequia servi paratiss.  
Collatum cum originali, quod testor P. F. L. Maastricht,*











B 7867(7)

ULB Halle

3

007 103 298



V. D. A.









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

APPENDIX 7a  
AD  
TRACTATUM  
TORICO  
LITICORUM,  
ICI BREWER  
JULIACENSIS.  
RTEM VII.



TONIA AGRIPPINAE,  
ANNIS ANTONII KINCHII, Anno 1674:  
Cum Privilegio, S. C. M.